

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

D. 29.

ORATIO *an 3*



DE VESTITV ET
Ornatu Sacerdotali Veteris &
Noui Testamenti:

RECITATA IN

ACTV PROMOTI-

ONIS MAGISTRORVM PV-

blico, à M. IOHANN E GRVNIO

Noribergense, Alumnorum Electoralium

Præceptore, cum Collegi Philoso-

phici in Academia VVitebergensi

secundum Decanus esset,

17. Calend. Octobris.

Anno Christi

1590.


Psal. 119.

*Parvulus sum ego & contemptus, sed sta-
tuta tua non sum oblitus.*

VVITEBERGÆ

Typis Simonis Gronenbergij. Anno 1591.





MAGNIFICO, NO-
BILITATE GENERIS.

PRUDENTIA, ERUDITIONE
doctrinae, & virtute clarissimo Viro, OT-
TONI A DISKAV IN FINSTER-
ualde, Illustrissimo Saxonie Electori, &c.
Burggrauio Magdeburgensi à consi-
lijs intimis, Domino & Patrono
suo summa obseruantia
colendo.



TEMPVS BRVMÆ,
quo mea in publicum pro-
dit oratio, quam de ornatus
Sacerdotali Veteris & Noui Tes-
tamenti conscriptam in actu
solenni promotionis Magistro-
rum recitavi, historiam Hal-
cyonis in memoriam nobis
reuocat, Magnifice, Nobili genere, prudentia, eru-
ditione doctrinae, & virtute clarissime Vir, Domi-
ne & Patrono reuerenter colende, cui auiculæ Deus
non obscura mirandæ sapientia & bonitatis suæ
vestigia impressit.

Duo sunt præ cæteris omnibus in hac rerum
vniuersitate illustra de Deo testimonia, motus
corporum cælestium, legibus constantissimis sibi
ipsi perpetuo conformis, vicibusque mirandis va-
riatus,

P R A E F A T I O.

riatus: & natura hominis, qui DEVM animo, & Mundum corpore representans Imago DEI & μικρόκοσμος appellatur, quæ omnia in cælo & homine sapientissimè ordinata, neque à casu, neque à sola materia, sed ab aliqua causa efficiente, cuius sapientia & potentia sit infinita, ortum habere Ethnici saniores ratiocinati sunt: Nihilominus tamen cæteras quoque in natura partes considerare prodest, quod singulis, tametsi spectæ & minutæ videantur, quædam vestigia præsentia, sapientia & bonitatis suæ non obscura DEVS impresserit, iuxta illud: Præsentemque refert quælibet herba Deum. Hæc consideratio animo pio & pro beneficijs diuinis grato digna est, sicut contemptus animum prophanum & ab omni pietate alienum arguit. Ex his autem accuratius inspicere oportet, quæ non in genere tantum monstrant, quod sit DEVS, quod curet genus humanum, quod sit potentia, sapientia & bonitatis infinita, sed quæ in specie φιλανθρωπία καὶ χρηστότητα ipsius erga Ecclesiam oculis subiiciunt, qualis hæc est, quam initio dixi, & quæ apud Plinium extat lib. 10. cap. 31. Halcyonis historia,

Refert Plinius Halcyonem esse auiculam paulò maiorem passere, purpureis & candidis distinctam pennis, quæ septem ante brumam diebus nidum vel in arenis litiorum vel in scopulis marinis construens totidem post eam diebus oua pariat & pullos excludat, vnde ἀπὸ τῆς ἁλὸς κυβερν appellata est. Etsi autem mari magis hyeme, quam reliquis anni partibus insurgente fluctus ad littora &

P R A E F A T I O.

& scopulos vehementius alliduntur, vt nauigatio institui non possit, nisi cum praesenti vitae discrimine: Hisce tamen quatuordecim diebus mare subito mitescit & placidum redditur, ne mater cum pullis & nidulo suo inter fluctuum impetus periclitetur vel omnino pereat, vnde dies illi Halcyonij appellantur, quos serenitatis praesumptae obseruant nautae, & hoc tempore sese mari committere non dubitant.

Haec imago quomodo ad varias Ecclesiae & singulorum piorum afflictiones & liberationes quadret, minime obscurum est. Exercetur Ecclesia varijs ærumnis ab eo vsque tempore, quo inimicitiae inter semen mulieris & serpentem posita sunt, & verè similis est cymbæ sine velis & remis inter fortunæ aduersæ flatus & varia monstra periclitanti, quæ impetu fluctuum hinc inde scopulis allisa & rimas agens tantum non submergitur. Quia Diabolorum hominumque impiorum furoribus duriter quassata, non paenis tantum communibus cum parte generis humani deteriore, verum etiam ob suos ipsius lapsus priuatis ærumnis implicata est, atque in hoc vasto malorum pelago fluctuans, & sub ingenti dolens gemensque onere mulieri à Prophetis & ab ipso DEI Filio parturienti merito comparatur, cuius eiulatus & querelæ tristissimæ passim in scriptura extant. Quin & caput Ecclesiae Filius DEI cum in statu humiliationis esset, pari fortuna vsus parique vel maiore potius calamitatum mole vexatus, tum in Psalmis tum in ἀκμῆ passionis suæ in querelas erumpit tristissimas, & exemplo suo

P R A E F A T I O.

restatur, fortunam istam, quæ tunc capitis fuit, corporis sui & membrorum omnium perpetuam esse. Hæc igitur facies Ecclesiæ tristissima primùm in Halcyone pingitur, quam pñ intuentes confideratione fortunæ communis & ipsius Filij DEI exemplo contra scandalum crucis sese præmunire debent.

Quemadmodum autem in periculo naufragij neque interitus, naucleri, neque copia sociorum in eodem genere mortis versantium firmo solatio periclitantes erigit, nisi portus monstratur, ad quem naufragi tandem appellere & incolumes euadere possint. (Nam quod trito fertur prouerbio, pœnarum socios esse miseris solatio, horribilissimum est ἐπιχαιρέκλεια, qualis fuit in impio Latrone, qui venenato sarcasmo insultat Filio DEI supplicij socio, & qualis est in Diabolis, qui nullam aliam ob causam in genus humanum tam immani sæuiunt odio, quam ut infinitam hominum multitudinem cruciatuum æternorum sociam habeant.) Ita neq; ipsius Filij DEI exemplum, neq; fors piorum communis constanti solatio afflictos eriget, nisi & ancora sacra, quæ cymbam illam in hac vita fluctuantem firmet, & portus aliquis monstratur, in quo lætus sit omnium ærumnarum finis & tranquillus exitus. Quare alteram quoque imaginem, in hac auicula nobis propositam, intueri prodest, quæ consolationem Ecclesiæ necessariam continet. Quemadmodum enim Halcyon contra fluctus marinos non suis viribus, sed sola DEI prouidentia defenditur, qui ut pro passerculis vilibus, ita pro hac quoque auicula sollicitus, eo tempore, quo nidulum illa suum construit,

P R A E F A T I O.

struit, oua parit & pullos excludit, mare quasi obice & ostijs firmat, vt neque terminos, quibus circumdatum est, transgredi, Iob. 28, neque matrem cum nidulo & pullis obruere queat: Ita quamquam Ecclesia varijs in hac vita ærumnarum procellis iactatur, & inter ruinas imperiorum pœnasq; vniuersales, ceu cymba fatiscens, interitum minari videtur, præter spem tamen, tam suam ipsius quam hostium suorum omnem animo præsentî, non ex seipsa concepto, sed ex DEI Spiritu, & miseras superat, Deo subinde quædam halcyonia clementer concedente, & portum vitæ æternæ prospiciens, remis concitatis velisque pansis ad eum contendit, vbi corona gloriæ æternæ pro laboribus militiæ Christianæ in hac vita exhaustis donabitur.

Has vices Ecclesiæ ab ipso Mundi exordio perpetuas esse, vt dies nebulosos & turbulentos aliqui sereni & tranquilli excipiant, quibus respirare ea atque ad novos hostium incursus animum & vires recipere possit, non solum dicta Scripturæ sacræ plurima, verum etiam historia Ecclesiæ Veteris & Noui Testamenti vniuersa comprobant. Ecclesia primorum Parentum idolatria & parricidio Caini duriter quassata, & propemodum corruisse visa, DEO nouam ipsis prolem suscitante, clementer instaurata est, Enos enim Sethi filius, verum DEI cultum Caini malitia collapsum restituit, Gen. 4. Patriarcharum antesignani Abraham, Isaac, Iacob fame, exilio, alijsq; ærumnis publicis & domesticis miserè vexati, sua semper hospitia sibi diuinitus concessa, in Palæstina & Aegypto habuerunt.

P R A E F A T I O.

Vices similes populi Israelitici vniuersi tūm in deserto vagantis, tūm in terra promissa habitantis, passim in historia sacra & praecipue in Psalmis 78. & 105. describuntur. Quin etiam in ipsa captiuitate, quae *πανολεθρία* DEI peculio paritura videbatur, & inter media hostium agmina DEVS tranquillitatem aliquam ipsi concessit, non solum Daniele & socijs ad gubernacula praecipuorum Regni Babylonici & Persici munerum euectis, verum etiam Monarchis potentissimis vtriusq; Regni Nabugodonosore, Euilmerodacho, Dario, Cyro, Assuero, Longimano, partim ad mentem meliorem verique DEI agnitionem, partim ad mitiorem & ad populum Dei captiuum clementius tractandum procliuiorem conuersis. Post captiuitatem cum sedes Ecclesiae bellis Regum Syriacorum & Aegyptiorum mutuis & tyrannide duriter concuteretur, quoties flatu fortunae in vtramvis partem inclinatae secundo vel aduerso alteruter vel victoria tumidus, vel ex clade iratus in peculium DEI impressionem faceret, auxilio tamen paruo, iuxta vaticinium Danielis cap. 11. subleuata est, & respirandi tempora sub Maccabaeis habuit.

Quae verò halcyonia Pater aeternus Filio suo in carnem misso concesserit, historia sacra monstrat. Cum enim Augustus Caesar ingentem Antonij & Cleopatrae classem praelio nauali vicisset, & sine bellis ciuilibus imposito, solus imperio Romano potitus esset, pax in toto terrarum orbe facta est, ut princeps pacis, iuxta Iesaeae vaticinium cap. 9. nasci posset, & quanquam Iudaea milite peregrino repleta & Arabum aliorumque
prædo

P R A E F A T I O .

praedonum rapinis exposita erat : census tamen hoc ipso natiuitatis Filij DEI tempore per Augustum indictus in causa fuit, vt viae publicae à latronibus aliquantum purgatae transitum tutiorem Mariæ ex Nazareth Galilææ oppido in Bethlehemi ciuitatem Dauidis in Iudæa concederent, vbi & ipsa mater partui vicina diuersorium, & Filius DEI in lucem editus præsepe suum habuerunt, & cum Herodes cunis ipsius insidias strueret, DEVS Iosephum oraculo præmonitum & per Magos viatico instructum in Aegyptum migrare iussit, vt ab insidijs Tyranni tutus ibidem esse posset.

Similia halcyonia DEVS Ecclesiæ Nouæ etiam Testamenti concessit. Quanquam enim non habet de sede certa promissionem, qualem Ecclesia Veteris Testamenti habuit: Aliqua tamen hospitia, aliàs magis aliàs minùs tranquilla & commoda, largitus est, & ad consummationem seculi largietur, iuxta precationem Christi Ioh. 17. Non rogo vt tollas eos de Mundo, sed vt serues eos à malo. Cum enim instaret finis positivæ Mosaicæ, & DEVS plurima atrocità in Prophetas, Apostolos & ipsum DEI Filium commissa parricidia finali gentis Iudaicæ excidio puniturus esset, Ecclesia quæ adhuc in herba erat, ne hoc pœnarum cataclysmo obruta funditus periret, oraculo monita Pellam transiit, & sua ibi halcyonia habuit.

Post tempora Apostolorum, cum ab Ethnicis crudelissime tractata, omni propemodum spe

P R A E F A T I O.

salutis excidisset, subito quaedam respirandi interualla est nacta, fastigio Imperij ad Constantinum translato, vbi à iugo Ethnicorum crudelissimo prorsus liberata est.

Concordant tempora Constantinum secuta, quibus etsi factio Arriana non solum impijs dogmatum paradoxis, sed etiam ferro & armis in Ecclesiam veram grassata est, subinde tamen Doctores orthodoxi, qui sententiam veriorum assererent, & Imperatores pijs, qui Ecclesiae calamitatum publicarum procellis duriter quassatae portum, hospitia & aliqua halcyonia concederent, diuinitus excitati sunt.

Concordat denique illius, quod in regnum Antichristi incidit & huius nostri temporis historia. Etsi enim in Oriente lux doctrinae Propheticae & Apostolicae furoribus Mahometicis prorsus extincta est, & versus Occidentem Antichristus Romanus & toto regni sui cursu, quo tenebrae in religione paulatim auctae, tandemque Cimerijs densiores factae sunt, & hoc nostro seculo, quo lux Verbi noua refulsit, rabiosius in Ecclesiam grassatur, & lucem emergentem ferro & igne conatur restringere: In diuersis tamen orbibus habitati locis DEVS passim aliqua Ecclesiae Filij sui hospitia concedit. Quin & inter ipsos furores Mahometicos aliqua Ecclesia DEO colligitur, tametsi lux doctrinae minus pura est, & seruitus durior, & in ipso Antichristi Romani regno semper aliqui fuerunt, qui idolomaniae
Pontif

P R A E F A T I O.

Pontificiæ contradicerent, & hoc conscientiaæ suæ recte iudicantis testimonium sanguine suo ob signare non dubitarent.

Hæc considerare utile est, vt hæc nostra secula & hosce cæcus nostros inuentes ad gratitudinem excitemur pro hoc ingenti DEI beneficio, quod in hac magna Diaboli ira, qui modicum tempus habet, Apocalypsis duodecimo cap. inter horrendos Tyrannorum furores, inter pœnas & confusiones huius ultimæ Mundi senectæ multiplices, & inter tristes Regnorum ruinas, Ecclesiæ suæ, tum passim in Germania, tum in his præcipue terris aliqua halcyonia, iam multorum annorum decursu benigne largitur.

Quanto enim fremitu & furore Antichristiani in nos accensi dissipationem Ecclesiæ vniuersæ non in regnis tantum exteris, sed in media Germania sint moliti, consilia ipsorum *παρανολεθρικά*, & apparatus bellici restantur, quibus non in extera regna, sed in Germaniam, adeoque in hæc terras impressionem tentarunt.

Sed quam paternè cura DEI prouida, tum consilia Pontificiorum impediuerit, tum gladios, ceruicibus nostris iam iam intentatos, hæctenus auerterit, & quam turpiter spe sua deciderint, grata magis mente agnoscere debemus, quam copia verborum exornare possumus.

Etia

P R A E F A T I O.

Etsi autem Ecclesia nec consilijs humanis colitur, nec brachio carnali defenditur: opera tamen Magistratus politici ceu medio DEVS plerunque vitur, iuxta promissionem, quæ extat Ies. 49. Erunt Reges nutritij tui, & Reginae nutritices tuæ, eamque ob causam Dan. 4. Rex Babylo- nicus arbori confertur, sub cuius umbra requiescunt animalia, & in ramis eius aues cæli habitant. Filius DEI igitur Ecclesiæ suæ custos semper aliquos pios Principes excitat, ut sint Ecclesiæ suæ nutritij, ipsorum autoritatem & potentiam furori hostium opponit, mentesque ipsorum spiritu suo illustrat & gubernat, ut non tantum hostiles impiorum impressiones reprimant, sed etiam de nidulis ad Ecclesiam & docentium discipulorumque agmina fouenda commodis solliciti sint.

Tales olim fuerunt in populo Dei David, Salomon, Ezechias, Iosias, & extra illum in alijs atq; alijs locis Abimelech, Patriarcharum, Abrahamæ & Isaaci hospes, Pharaonis Iosephi discipulus, Nabugodonosor, Cyrus, Darius, Danielis auditores, Constantinus Theodosius, & hoc nostro tempore multi pii Reges extra Germaniam, multique in ipsa pii Principes, in quibus excellit & inclyta Domus Saxonica uniuersa, & præcipue CHRISTIANVS Christianissimus, magni illius Augusti υψιστου filius, Elector Saxoniae illustrissimus, & Dominus noster clementissimus, qui dotibus animi heroicis Parente non inferior, hoc mundi decrepiti tempore, Ecclesiæ & Musarum portus & aura est, pro quo clementer Ecclesiæ donato diuinitus nos gratias et maiores agere, proque vita & incolumitate ipsius,
Preces

P R A E F A T I O.

preces eò ardentiores ad DEVM fundere debemus, quò maior hactenus fuit, & nunc quoque est Pontificiorum rabies & impressio in Ecclesiam & Germaniam vniuersam faciendæ furor efferatus, cui præter curam Dei prouidam proque peculio suo sollicitudinem continuam, murum alium, quàm autoritatem Electoris nostri Illustrissimi, aliorumque piorum Principum Cels. ipsius coniunctorum, hostibus formidabilem opponere non possumus.

Hæc orationi meæ, quam de ornatu Sacerdotali Veteris & Noui Testamenti publicè recitavi, ideo præmittere visum est, quòd hæc quoque Academia vel quodam fato suo singulari, vel odio Diaboli in eam acerbiori propter lucem Verbi diuini & Philosophiæ purioris per salutaria Dei organa, Dn. MARTINVM LVTHERVVM & Dn. PHILIPPVM MELANCHTONEM, sanctæ ambos memoriæ, in ea iterum accensam varijs fortunæ procellis, multorum annorum decursu hactenus agitata, semper tamen piorum Principum cura aliquem inuenit portum, ad quem rebus propemodum, vt videbantur, desperatis, tandem appelleret, id quod continua Academia historia ostendere prolixius forsitan, quàm operosius futurum esset: Non penitus certè à Diabolo dissipatam esse, id quod præter Pontificios alijs multi, bellum cum ea ἀποδοσῶν gerentes, maximoperè optarint, argumento est, quòd aliqua docentium & discentium agmina coalescunt & congressus publici aguntur, in quibus Deo gratia & Ecclesiæ salutaria dicuntur & fiunt.

Atq;

P R A E F A T I O .

Atque hæc ferè est causa mei consilij præcipua de hac oratione in publicum emittenda, quæ etsi neque ob rerum neque verborum copiam & elegantiam editione est digna, forsitan tamen ad hoc proderit, vt Ecclesiæ vniuersæ innotescat, hanc Academiam inde vsque ab initio doctrinæ instauratæ reuerenter amplecti scripta Prophetica & Apostolica, quibus lucem & nitorem suum pristinum DEVS per prænominata salutaria organa, Dn. LV THER VM & Dn. P H I L I P P V M restituit. Horum Virorum seruitia salutaria Ecclesiæ præstita auctori Filio DEI grata mente ascribimus, & in memoriam ipsorum sacrosanctam retinemus, & eundem Filium DEI oramus, vt doctrinam ministerio ipsorum nobis traditam sanctam tectam conseruet, & multos Doctores Ecclesiæ suæ largiatur, qui sint ὀφθαλμοὶ, horum duorum Germaniæ & Ecclesiæ luminum discipuli, & hypocrisin caterorum tandem refutet, qui sancto vtriusq; Viri nomine ad opiniones suas palliandas abutuntur.

Cur autem sub tui nominis auspicio hanc orationem in publicum emittere voluerim, Magnifice Vir, Domine & Patrone colende, causa non est alia, quàm vt aliquam gratæ mentis erga M. Tuam significationem ederem, quæ locum nō postremum habet inter eos, qui consilia publica instaurandæ huius Academiæ gubernarunt, huiusq; loci honestissimi, quem teneo, autores mihi fuerunt. Hanc summam M. Tuæ erga me beneuolentiam, vt mihi deinceps quoque polliceor, ita hoc non niolo, quasi renouare, & M. Tuæ in memoriam reducere volui, quam hoc tenue gratæ mentis officium

P R A E F A T I O.

eum candidè probaturam esse mihi planè per
suadeo. Filium DEI oro, vt deinceps quoque
consilia tua ad gloriam nominis sui, & Ecclesiae
Scholarumque salutem dirigat, & M. Tuam hisce
gerris diu incolumem conseruet. VVitebergæ
die Natali Domini & Seruatoris nostri I E S V
CHRISTI Annum nonagesimum primum, su
pra sesquimillesimum incoante, qui vt M. Tuæ felix
& faustus sit, Deum toto pectore precor.

M. T.

C.

M. Iohannes Grunius,
Noribergensis.

M. Joh. deo Civitas
Nordheim

C
T
N
ro
di
c
m
u
g
r
ti
st
ca
fo
m
in
re



ORATIO DE VESTI-
TV ET ORNATV SACERDO-
tali veteris & noui Te-
stamenti.

SI exordio prolixiore has di- Captatio
beneuolen-
tiae.
cendi partes, quas sustineo in
praesentia, tueri, vel veniam
orationi meae praefari vellem,
Magnifice Domine Rector, inclyti & gene-
rosi Barones, Domini clementes, Reueren-
di, clarissimi, pietate, prudentia, erudita do-
ctrina & virtute praestantissimi viri, Do-
mini colendi, tuq; corona virorum, ac iu-
uenum nobilium & honestorum longè au-
gustissima, non de officio tantum meo pa-
rum rectè sentirem, sed etiam beneuolen-
tiae vestrae diffiderem. Nemo enim ve-
strum est, qui ignoret, me officio in hanc
cathedram produci, & ut initium huiusce
solennis actus ab oratione aliqua faciam,
more Academia peructeri & laude digno
iuberi. Quicquid autem officio sit & mo-
re laudato, id nec ausu temerario, nec im-
B prudentia

pudencia nec affectu, sed iudicij rectitudine fieri, ideoque deprecatione non indigere, nec veniam, sed laudem & benevolentiam mereri, vos omnes mecum agnoscere & fateri existimo.

Etsi igitur nec eruditionem, nec dicendi facultatem eam affero, quæ ad verba in hoc cœtu facienda requiruntur, conscientia tamen officij me tuebitur, & eam mihi conciliabit benevolentiam vestram, qua alios ante me complexi estis, quoties ex hoc ipso loco & tempore, eodemq; fungentes officio verba facerent.

Sed mihi de materia, quæ cœtu tam angusto digna esset, deliberanti tanta sese difficultas obtulit, ut nunc quoque dubitem, an ex ea me penitus expediuerim, quia video me fere nihil dicere atque in medium proferre posse, quod non ante me alij gravitate, autoritate, & rerum, verborumq; copia maiore dixerint & protulerint. Taceo iam varios hoc seculo eventus orationis, quibus homines cordati imprimisque series mouentur, ut sint verbo-
rum

ORATIO.

rum parci & silentium tranquillum facun-
 dia ambitiose cum periculo coniuncta pre-
 ferant. Cùm autem hanc deliberationis *Atten.*
 difficultatem superare me cogant neces-
 sitas, & quo in presentia fungor, officium, &
 aliquid omninò dicendum sit, materiam
 elegi ex medio rerum, que in vita com-
 muni geruntur, cumulo, minùs fortasse iu-
 cundam & gratam, quàm iuventuti neces-
 sariam, & etati meae competentem. In-
 gressus enim die mensis superioris decimo
 Climactericum etatis meae octauum, cùm
 animo repeterè non priuatas tantùm, que
 meis, sed etiam varias, que rebus commu-
 nibus accidissent, vices, quas afferre solent
 Climacterici, deprehendi, sicut etatem ho-
 minis, vitæq; statum & fortunam uniuersam,
 septimus quisq; annus aliquo casu insi-
 gni afficit, ita in Germania uniuersa, mo-
 res hominum inprimisq; vestiendi ratione, *Docilitas*
 quolibet propemodum septennio, semper in-
 deterius, & adeò quidem à grauitate Ger-
 manorum pristina degenerasse, ut hodie
 Natio Germanorum à ceteris exteris nulla
 fere alia nota, quàm lingue idiomatice discerni

queat, Germanis præter morem aliarum gentium, suum subinde habitum mutantibus, & unam cum vestitu opiniones, mores, gestus & varia vitia, earum gentium, quas imitantur, pro sapia & nomine suo inclyto indigna, imbibentibus. Sicut autem ineptias morum & vestium in mulierculis & infantibus dissimulando toleramus, quod ob infirmitatem iudicij decorum statim cernere nequeant: Ita inepta hæc vestimenti stoliditas in ea hominum parte tolerari posset, quæ cum literarum rudis sit, iudicij rectitudine caret. Sed quod iste etiam cætus hoc malo laborat, qui ceteris faciem pietatis, virtutis, gravitatis & honestatis uniuersæ præferre debebat, id verò est, quod cordatis bilem mouet & gemitum eo maiorem, quò minus malum hoc corrigi posse animaduertunt.

Propositio.

Quare, ut saltem aliqui non planè desperati ab hac turpitudine, abhorrere discant, materia orationis meæ erit vestitus & ornatus Sacerdotalis in veteri & nouo Testamento, ubi primum dicam, qualis

*qualis ille summi & ceterorū veteris Te-
 stamenti Sacerdotū fuerit: Postea duas ad-
 dam causas, unam politicam, & alteram
 allegoricam, quare talis fuerit, et quid ipsos
 monuerit: Tertio umbram ad corpus, ty-
 pum ad veritatem, & allegoriā ad Filium
 Dei, summū noui Testamenti Sacerdotem,
 & ad Christianos ceteros, quos ille noui
 Testamenti sacerdotes fecit, accommodabo:
 unde quartum erit per se liquidum, cum
 vestis non minus, quam sermo sit character
 animi, stolidam istam & ineptam vesti-
 endi rationem pietate Christiana, ut de
 grauitate Germana non dicam, & preser-
 tim ordine nostro indignam esse. De hac
 materia per se, ut videtur, tenui si quid
 dixero, quod aetati tenera proffit, quae vel
 spectandi vel discendi causa confluit, ce-
 teri eruditi, qui honoris nostri causa, vel ex
 officio adsunt, moram quantulamcumq; bo-
 ni consulent, quibus auscultandi tedium
 orationis breuitate leuabo. Oro Filium Dei,
 summum noui Testamenti Sacerdotem,
 ut Spiritus sui numine res & verba*

huic materie idonea & necessaria suppe-
ditet.

Prima ora-
tionis pars
de vestitu
Sacerdotali
veteris Tes-
tamenti.

Series par-
tium orna-
tus Sacer-
dotalis.

I. Tunica
stricta bys-
sina.

Vestitus & ornatus Sacerdotalis v-
niuersus Veteris Testamenti, describitur à
Mose Exo: 28. cuius paraphrasis extat, li-
bro Antiquit: 3. cap. 11. apud Iosephum, qui
cum ex tribu Sacerdotali oriundus fuerit,
fidem apud nos iure meretur. Lyra ex Iose-
pho pleraq; mutuatus est, quæ hac de re Glos-
sis suis inscriuit. Decem autem partes orna-
tus Sacerdotalis vniuersi recensentur, qua-
rum quatuor summo Sacerdoti cum cæteris
cõmunes, maiestate tamẽ & pretio impari,
sex verò ipsi peculiare erant, quas nemi-
ni præterquã ipsi, quiq; mortuo succederet,
neq; alio tempore, quàm quo ad partes mu-
neris sui obeũdas accederet, gestare licebat.
Quædam item totum corpus, quædam ve-
rò certas tantum corporis partes tegebant
vel ornabant. Tali autem ferè serie, & ta-
libus verbis ab utroque recensentur.

Vestis prima communis omnibus
erat Tunica stricta, per totum duplex,
corpus omne ad talos vsque complectens
& operiens, intima & cuti proxima, lo-
rice

ORATIO

rica instar corpus muniens, in summo Sa-
cerdote rosulis gemmatis & Margaritis
lucentibus ornata, manicis brachia con-
stringens, nusquam sinuata, sed tota stri-
cta, longam ad collum habens aperturam,
ut capite per eam exerto, ipsa dependens
totum corpus tegeret, quales ferè sunt
subucula nostra seu indusia. Hæc Græcis
χιτων dicitur ad similitudinem vocis He-
brae חיתון (chythone) & κούμαλον, id
est, vestis fimbriata, quæ nodulis constrin-
gitur. Materia huius vestis erat Byssus,
quam scribunt esse linum candidissimum,
in Galilea nascens in folliculis, qui sunt si-
miles capitibus papaverum, & telam inde
confectam igne non consumi, sed purgari,
ideoque equali cum auro pondere vendi, &
vestes ex ea preciosissimas confici, quibus
soli Reges, Sacerdotes & Optimates in O-
riente uti solcant. Plin. lib. 19. cap. 1.

Forma tunicæ strictæ.

Materia tunicæ strictæ byssus.

Secunda vestis omnibus communis, & II. Femorale.
partem tantum corporis tegens, erat Femorale.
quod à Iosepho, cinctorium circa femora
appellatum, & ipsum ex byssocontextum
erat tali forma, ut sub tunica byssina à

B 4

lumbis

lumbis ad femora transfret, & per id pedibus ingredi posset, qui indueret. Usum Cinctory Mosēs indicat, ut ad cultus accessuri diuinos carnem turpitudinis suae tegant, ne portantes iniquitatem suam moriantur.

III. Zona
feu baltheus.

Tertia erat Zona quasi quatuor digitos lata, quae supra tunicam byssinam pectori modicè circumducta, ad crura usque dependebat, donec Sacerdos nihil operaretur. Sed ad studia sacrificiorum accessurus oras dependentes in humerum laeuum reiciebat. Mosēs & Lyra baltheum appellant, quod est cingulum equestre, τὰνοπλαίον, quae ventrem & lumbos munit, corpori applicans. Stamen huius cinguli byssus erat, cui mira pulchritudine varij colores coccinei purpureique erant intertexti, ita ut simbriae essent aureae, & zona ipsa quasi pellis viperea videretur.

IIII. Mitra
feu pileus.

Quarta erat Mitra byssina seu pileus, in modum paruulae cassidis, medietatem verticis modicè excedens, & aliquantum sese in altum extollens, & descensu suo

su suo nuda colli tegens, cui aliud de super
velamen circumdari solebat, ne Sacerdote
circa sacrificia laborante mitra corrue-
ret.

Præter hæc quatuor omnibus commu-
nia Sacerdotibus erant sex alia siue orna-
menta siue vestium genera summo Sac-
doti peculiaria, quoties ad muneris sui ad-
ministrationem accederet.

Prima erat tunica hyacinthina, talaris & ipsa, quæ
priori byssina superinduebatur. Hæc nul-
la parte scissa aut aperta, tantum circa col-
lum sectionem longam à pectore versus
utramque scapulam, & in manicarum ex-
tremitatibus oras habebat fortiter contex-
tas & coloribus diversis gemmisque varia-
tas, per quas Sacerdos caput & manus ex-
ereret. Hyacinthus est flos coloris vio-

lacei, cuius usus est intingendo, & ra-
dix serpentum, scorpionum, crabro-
num, phalangiorum morsibus medetur.
Plin. lib. 21. cap. 26. Hyacinthi igitur voca-
bulo non materiam tunica, sed colorem ex-
primit manifestum est. Materiam vero

B 5

fuis-

Ornamenta
summi Sa-
cerdo is
propria.

I. Tunica
hyacinthina.

Hyacin-
thus.

fuisse ex lino & lana, argumento est, quod Iosephus lib. 4. cap. 6. scribit, usum vestis ex lana et lino contexta ceteris Iudaeis prohibitum fuisse, Dent. 22. quod solummodo Sacerdotibus concessus esset, quales ferè sunt nostra Undulata, Damascena vel subserica. De simbria huius tunica per vices & alternatim dependebant mala punica seu granata ex hyacintho, purpura & cocco confecta et tintinnabula aurea, quorù usus erat, ut sonitus ingredientis Sanctuarium in conspectu Domini & egredientis audiretur, ne moreretur.

Tintinnabula & mala punica.

I I.

Ἐπώμιε, superhumerales, Ephod.

Ephod generale.

Ephod personale.

Secunda vestis summi Sacerdotis propria erat Ἐπώμιε, superhumerales, Hebraeis Ἐφὸδ, à stringendo aptandoq; nomen habens, quod humeris supra tunicam hyacinthinam inijceretur, eamq; qua laxior erat, stringeret & corpori applicaret. Aliud autem generale erat, ex lino confectum candidissimo, quo Leuitae, Reges & aliarù quoq; tribuum homines in sacris utebantur, ut Samuel. 1. Reg. 2. Sacerdotes Nobitani 1. Reg. 22. David 2. Sam. 6. Aliud personale &

& summi Sacerdotis proprium, de quo hic
 agitur. Contexta autem erat haec vestis de
 quinque filorum generibus, auro, hyacintho,
 purpura, cocco bis tincto & bysso retorta,
 mira pulchritudine variata, & ut Dama-
 scene nostra, exornata floribus opere Phry-
 gio. Forma erat quadrilatera et $\epsilon\tau\epsilon\sigma\omicron\mu\kappa\eta\eta\epsilon$
 in medio, quâ caput, et ex utroque latere, qua
 brachia exeri debebant, penitus aperta,
 ubi tamen nodulis connectebatur aureis,
 latitudine utrunque humerum, longitudine
 pectus ab antica, et lumbos usque ad renes à
 postica corporis parte tegens. Qua verò par-
 te incumbebat humeris, insibulabant eam
 duo Onyches circellis clausi aureis, quibus
 catenula Logy seu pectoralis anneceban-
 tur. Inscripta erant hisce gemmis nomi-
 na filiorum Israel literis provincialibus,
 in utroque sena, ut ea summus Sacer-
 dos $\mu\upsilon\eta\mu\omicron\sigma\iota\omega\upsilon\upsilon$ $\chi\acute{\alpha}\sigma\iota\upsilon$ gestaret coram
 Domino, & refert Iosephus, si Deus sa-
 crificia approbaret, tantum ex eis splen-
 dorem exilysse, qui etiam procul positus
 appareret, cum tamen splendor ille
 gem-

Onyches
 duo in hu-
 meris.

gemmis per sese non inesset, sicut olim patrum sacrificia igne cœlitus delapso in signum gratiæ suæ accenderat.

III. λόγιον
seu Ratio-
nale.

Structura
Logij.

Gemmæ
Logij

In medio Epomis, quæ pectori incumberebat, locus erat vacuus palmi magnitudine, ubi λόγιον, hoc est, Rationale iudicij inferendum erat, inter ornamenta summi Sacerdotis propria tertium. Hoc Græcis πεισιθιον, hoc est, pectorale, à situ & Hebræis יָשָׁה ab usu dicitur à שָׁהָה auguratus est, diuinavit, quod Sacerdos de rebus dubijs & futuris oracula sibi diuinitus per pectorale præmonstrata proferret. Erat autem pannus exactè quadratus, ex eodem, quo Epomis, contextus filorū genere, duplex & quatuor ordinibus gemmarum insignis, ita ut in quolibet ordine tres essent, in primo Sardius, Topazius & Smaragdus, in secundo Carbunculus, Sapphirus & Adamas, in tertio Lyncurius, Achatès & Amethystus, in quarto Chrysolithus, Onyx & Iaspis, Iosephus Berillum vocat, & singulis gemmis singula duodecim filiorum Israel, qui capita erant

triginta

tribuum, nomina erant insculpta, ut ea summus Sacerdos in pectore gestaret coram Domino. Λόγιον verò catenulis, & Catenulæ
& annuli
Logij. annulis ad gemmas illas humerales supernè, vitta verò seu fascia hyacinthina ad Epomidem infernè annexum erat, ne vlla parte ab ea dimoueri posset, & erant in Logio ex miranda Dei ordinatione, & ex ipsa colorum & fulgoris gemmarum harmonia pulcerrima Vrim & Thummim, δ'κλωσις καὶ ἀλίδεια, hoc est, Lux & Perfectio, seu Doctrina & Veritas, quod Vfus Logij. donum oraculorum fuit. Rabbi Salomon affirmat sub gemmis Logij nomen tetragrammaton scriptum fuisse, Iosephus lib. 3. cap. 12. refert, summum Sacerdotem Epomide & Logio indutum, non alia tantum dubia & futura sciscitantibus, sed precipue pugnaturis ex reuelatione diuina certam predixisse victoriam, & tantum in gemmis pectoralibus fulsisse splendorem, antequam exercitus moueretur, ut omnimultitudini manifestum fieret, Deum prestò esse, ideoque exercitus fiducia presentia Dei

Vfus Logij
quando cels
larit.

Dei & spe victoriae indubitata ad praelia
Domini progrediens, hostes terrore panico
consternatos in fugam conuerteret. Et
quoniam Deus seuerè precipit Deut. 17. ut
responsis summi Sacerdotis sine tergiuer-
satione obtemperetur & contumaces occi-
dantur, hunc fulgorem in pectore ipsius
τεκμήριον esse voluit, doctrinam, quam so-
naret, & oracula quae de rebus futuris aut
dubijs ederet, immotam Dei veritatem, &
euentus, quos prae monstrasset, certo secuturos
esse. Scribit autem Iosephus, splendorem in
gemmis humerorum & pectoris summi Sa-
cerdotis ducentis annis, antequam opus su-
um congescit, cessasse ob enormes & conti-
nuas legis diuinae transgressiones, sicut
Sauli quoque impio Deus per Vrim responde-
re noluit 1. Sam. 28. Lyra magis pie sentit,
quòd in secundo templo post captiuitatem
Babylonicam extructo nec Arca nec Logi-
on fuerint, quòd gloria illa Filio Dei iuxta
vaticinium Hag. 2. reseruanda fuerit.
Etsi autem aliqui per Vrim nihil aliud
quam splendorem & lucem ex tot gemmis
iuncta prodeuntem: & per Thummim in-
tegritas

tegritatem omnifq; vitij & labis exper-
 tem gemmarum peritatem intelligunt, & Alius vsus
Logij.
 Rationale iudicij inde dictum volunt, quod
 nomina gemmis insculpta ostenderent, ius
 cultuum & promissionum diuinarum non
 ad solam Leuiticam, sed ad ceteras quoque
 tribus pertinere, quo etiam sine Ru-
 benita, Gadita & dimidia tribus Ma-
 nasse altare extruunt Iosua 22. Donum
 tamen oraculorum in pectorali fuisse,
 non solum ea, quae ex Iosepho retulimus, sed
 ea quoque, quae extant apud Suidam, testan-
 tur, tametsi alicubi discrepant. Ephod, in- Suidas de
Logio.
 quit Suidas, nomen est Hebraeum, quod si
 interpreteris, manifestationem significat
 (Hosen per Synecdochen innuens) Erat
 autem forma eius textura palmaris, vario
 artificio, instar pectoralis ex aureis filis
 confecta. Ac in medio habebat quasi stel-
 lam omnino auream. Ex utraque autem
 parte duos Smaragdos, in quorum unoquoq;
 sculpta erant sex nomina, videlicet duode-
 cim nomina tribuum Israel. Porro inter Sma-
 ragdos continebat lapidem Adamantem.

Cum

Cum ergo Sacerdos sciscitaturus erat de re quadam oraculum à Deo, ligabat Ephod in superhumerali ad medium pectoris, & subyciebat manus suas sub ipsum, quas cum retraheret, deprehendebat eas quasi colore quodam infectas. Petebat autem à Deo responsum infixis in Ephod oculis. Itaq, si Deus annuebat ad id quod petebatur, confestim micabat lapis Adamas. Si autem negabat, nihil ad pristinum & proprium lapidis fulgorem accedebat. Quod si Deus voluit populum obijcere gladio, lapis reddebatur cruentus. Si autem imminerebat mors, lapis fiebat niger. Hæc Suidas.

IIII. Zona rationalis.

Quartum ornamentum summi Sacerdotis proprium erat Zona rationalis seu balthæus pectoralis eiusdem cum prioribus materie, varietate quinque colorum pulcherrima, & simbris aureis, Epomidem stringens & corpori applicans, extremitatibus aureis à pectore dependentibus.

V. Cidaris.

Quintum erat Mitra, tiara seu cidaris hyacinthina, priori byssina imposita, cuius

cuius oram posteriorem semicirculus terminabat aureus. Sed in fronte sextum erat ornamentum, Lamina aurea mitre Sacerdotali annexa vinculo hyacinthino, figuram Lune corniculatæ referens, cuius pars convexa deorsum, concava verò & cornua sursum spectabant. Huic laminae nomen tetragrammaton inscriptum erat, tanta latitudine ut à parte anteriore ad utranque procedens aurem, cum semicirculo posteriore coronam absolueret.

V I. Lamina aurea.

Omitto hîc Thuribulum aureum, quo summus Sacerdos suffitum quotidie adolebat, semel tantum in anno Sanctum Sanctorum ingrediens, Leuit: 16. Hebr: 9. Omitto & Balsamum, quo perfundi; omitto & alios ritus, quibus initiari solebat, Exo: 29. Leuit: 8. ut munere suo ritè fungi posset.

Thuribulâ.

Balsamum.

Series membrorum, quæ initio proposui, monet, ut secundo loco causas exponam, propter quas Deus & summum & reliquos Veteris Testamenti Sacerdotes habitu peculiari ornatos ad rerum sacrarum tractationem

C

accedere

Secunda orationis
pars de causis
ornatus
Sacerdotalis in veteri
Testamento
I. Causa
politica.

Ethnici Legem amiserunt.

Ethnici amiserunt
promissionem

accedere voluit. Sunt autem duae causae
praecipuae, ad Vetus Testamentum perti-
nentes, quas in hac secunda orationis par-
te tractabimus.

Prima causa fuit politica, quod ni-
mirum ut ceteris ceremonijs omnibus, ita
hoc etiam habitu Deus peculium suum,
quod ex genere hominum uniuerso excer-
pserat, Deut. 10. & iure quodam suo in re-
gnum Sacerdotale & gentem sanctam
adoptauerat, Exo: 19, à ceteris gentibus
omnibus, & tribum Sacerdotalem, cui soli
cura & administratio rerum sacrarum
commissa erat, à ceteris tribubus, quibus
ad Sacra tractanda accedere non liceret,
Num. 17. & 18, distinctum esse voluit.
Cum enim Ethnici non tantum Lege na-
turae, quae erat Legis diuinae radius post la-
psum in mente humana reliquus, paulatim
obscurata & extincta, multiplicem idola-
triam, victimas humanas, nuptias ince-
stas, aliosque mores Legi Dei & Naturae
contrarios recepissent, verum etiam prima
promissione & verbo Dei uniuerso ab-
iectis,

ieētis, sacrificia tantum & alios quosdam
 Patrum ritus retinuisſent, nouis tamen &
 ſuperſtitioſis ineptijs ſubinde cumulaffent,
 id quod rationis humana proprium eſt, ut
 ſine verbo Dei ſuam ipſius lucem ſequens
 in idolatriam & ſuperſtitionem ruat, &
 geſtus ſanctimonie externos admiratur:
 Cum item in Eccleſia Patrum primitiua
 Deus certis reſponſis vel ambigua expli-
 caſſet vel futura premonſtraſſet, ut Gen. 15.
 25. 41. Diabolus vero, ut certitudinem
 oraculorum Eccleſie, que Deum habebant
 autorem, aſtu obſcuraret & eluderet, ſua
 quoque inter Ethnicos per Pythones alioſque
 homines fanaticos reſponſa daret ſciſcitan-
 tibus, quale Dodoneum apud Herodotum,
 & Delphicum apud Diodorum & Iuſtinum
 & Pythonicum illud in hiſtoria Saulis, 1.
 Sam. 28. deſcribitur; Impia tamen eſſent
 omnia, que idolatriam & ſuperſtitionem con-
 firmaret, futilia ite, perplexa & ambigua,
 que vel preſtigias diabolicas redoleret vel
 interpretationis varietate fenestra effugy

Ethnicos
 rum oracus
 la Diabolis
 ca.

Finalis oras
 culorum
 ethnicorum
 cauffa.

Deus Legē
repetiuit &
promissio-
nem.

Oracula &
ceremoniæ
Ecclesiæ.

Vestitus
discernit of-
ficiorum
gradus.

Diabolo aperirent, si euentus, qui à prouidentia Dei liberrima pendent, aliter caderent, vel homines animi dubios, ad consilia incerta, ad mouenda non necessaria & maiora viribus, denique ad desperationem impellerent: Cùm, inquam, hæc & eiusmodi plurima inter Ethnicos vsitata essent, Deus in hoc peculio suo Legem moralem voce sua cœlitus repetiuit, primam promissionem non tantum nouis patefactionibus & Prophetarum oraculis instaurauit, sed etiam ceremonijs tanquam in anigmatate, donec impleretur, representauit, usum oraculorum verum & pietati antiquæ, verboque suo consonum restituit, atque ut Lege ceremoniali vniuersa, ita vestitu quoque Sacerdotali, qui pietatem & grauitatem præ se ferret, ceu nota, peculium suum à reliqua colluue hominum impiorum, qui sacrificia haberent sine verbo, & responsa à Diabolis peterent, discernere voluit. Præterea sicut in vita vniuersa vestis virum arguit, & non tantum more hominum vsitato gradus officiorum vestita distinguuntur,

guuntur, sed etiam recto predicti iudicio, qui ceteris dignitate antecellunt, hoc ipsum discrimen tali vestitu ostentare student, qui auctoritatem & eminentia opinionem gestantibus conciliet: Ita ornatus Sacerdotum talis fuit, ut splendor inusitatus presentiam Numinis divini argueret, maiestas reverentiam Ministry divinitus instituti pareret, gravitas auctoritatem persone à Deo ordinate conciliaret, magnificentia piam animi devotionem in spectantibus excitaret, & hæc peculiaris vestimenti ratio Sacerdotes, quibus solis cultuum divinorum administratio erat commissa, à ceteris Tribubus, quibus sacra tractare non licebat, discerneret.

Altera causa est allegorica & spiritualis, quia ut Legem ceremonialem universam: ita vestitum quoque Sacerdotalem Deus pedagogiam in Christum esse voluit, Gal: 3. Quid igitur Summum & ceteros Veteris Testamenti Sacerdotes, ornatus ille & vestitus peculiaris, de persona, de officio suo & de doctrina monu-

erit, deinceps in hac secunda orationis parte inuestigabimus.

De allegorijis.

Etsi autem in allegorijs non necesse est omnes partes congruere, & qui in singula scrupula nimis superstitiose inquirunt, inepti interdum fiunt & ridiculi, si quis tamen non precipuas tantum partes ad locum aliquem doctrine referat, sed quaedam etiam minuta scrutetur pietati profutura, in quibus annotandis Spiritum sanctum aliquid operæ posuisse cernimus, non omnem ille operam perdet, ut existimo. Sicut enim nimia subtilitas sine utilitate est superstitiosa futilitas: Ita cōtemtus exilium, quæ pietati profunt, & non tantum à Deo præcepta, sed etiam à Spiritu sancto literis mandata sunt, est indigna Christiano profanitas. Sed redeo ad propositum.

Allegoria Iosephi.

Iosephus lib. 3. cap. 11. talem in ornatu Sacerdotali allegoriam querit: Totam hanc Mundi uniuersitatem sentit habitu illo representatam, atque à summo Sacerdo-

cerdote gestatam esse. Tunica enim linea, totam terram, veste hyacinthina polum, malis punicis seu granatis corruscationes, tintinnabulis tonitruum sonitus, superhumerali totum Mundi spacium vacuum, in quod lux qualitatum dissimilium sparsa est, Rationali terram, quae in Mundi medio consistit, Zona Oceanum, utroque Sardonyche Solem & Lunam, duodecim gemmis in Rationali totidem anni menses aut duodecim Zodiaci signa, pileo caelum, & lamina aurea Deum representatum esse scribit. Lyra allegoriam Iosephi sequitur, tametsi alicubi corrigit.

Etsi autem linguae ignorantia errorem peperisse videtur in dicto Sap. 18, ubi voce graeca $\kappa\omicron\sigma\mu\omicron\varsigma$ non hanc Mundi uniuersitatem, ut vult Iosephus, sed ornatum sacerdotalem significari verba sequentia ostendunt: Si quis tamen ad Filium Dei summum Noui Testamenti Sacerdotem accommodet, qui omnia portat verbo virtutis suae, Heb. 1. & qui in ara crucis sacrificium

Allegoria
Iosephi ad
Christum
accommodata.

suum peragens & ornatu suo indutus, voce
 ac gestu testatus est hanc Mundi machi-
 nam suo subiectam esse imperio, pedibus ad
 terram ut scabellum suum protensis, capite
 ad cælum sedem suã erecto, aëre brachijs
 ceu palmo comprehenso, Ies: 40. Sole & Lu-
 na obscuratis, montibus concussis, sepulchris
 apertis, supplicij socio in possessionem Pa-
 radisi adscito, & si que alia in historia Do-
 minica cum hac Iosephi & Lyra allegoria
 congruunt, is non impiè in rebus diuinis,
 ut existimo, philosophabitur, quod fortasse
 Iosephus non intellexit, sed suam, ut puto,
 allegoriam ad politiam Mosaicam per to-
 tum terrarum orbem Messia potentia pro-
 pagandam, & ad quintam Iudeorum Mo-
 narchiam accommodauit, qualem Iudei ex
 sinistro Danielis intellectu, cap: 2. hodiè
 quoque expectant, quorum facies in lectio-
 ne Mosis & Prophetarum somnijs politicis,
 velate sunt, donec in Christum credant. 2.
 Cor: 3. Nos, priusquã typum accommodemus
 ad res Noui Testamenti, hoc loco considera-
 bimus, quid hic ornatus ipsos in Veteri Te-
 stamen-

Somnium
 Iudæorum.

stamento Sacerdotes de persona & officio suo, & de doctrina monuerit, ut accommodatio ad Nouum Testamentum, deinceps sit facilior.

Vestitus plures habet causas impulsivas & finales. Initio primos homines de reatu monuit, quod nuditatem argueret, que lapsum secuta erat, Gen. 3. Simul etiam gratia Dei signum fuit, quia pelles agnis maectatis detracta monuerunt, victimam esse venturam, que naturam nudam iustitia sua iterum vestiret. Et diu mansit hic mos antiquissimus in Ecclesia, ut scelerati signa reatus in vestitu gestarent, quibus non tantum à ceteris hominibus discerni possent, sed etiam de atrocitate facinorum suorum, & de pœnitentia commonfierent. Tale signum in Caino positum esse Gen. 4. scribitur, atque hunc ritum Ethnicos retinuisse, tametsi verbum amisissent, exempla Orestis, Adrastis & aliorum testantur. Præter hunc sinem geminum & principalem, alij paulatim accesserunt secundarij, ut vestes necessitati &

Causæ vestitus in genere.

I. Vestitus signum reatus

II. Vestitus signum gratiæ.

Signa reatus in vestitu.

Fines vestitus secundarij.

C 5

orna-

Fines vestitus secundarius

Vestis byssina sine allegoria.

Vestis hominis ante lapsum.

ornatui seruirent, & gradus personarum officiorumq; distinguerent. Nos de sine vestitus Sacerdotalis secundario paulò antè diximus: restat, ut hoc loco finis principalis allegoriam investigemus.

Vestis byssina duplicata, quæ ad talos usque descendens & protensa totum tegebat corpus, Sacerdotes & de reatu suo & de iustitia victime promissa admonuit.

Homo in prima creatione bysso indutus est duplici, quæ fuit natura ipsius integra, & huius integritatis comes Dei gratia. Conditus enim est ad imaginem Dei, quæ fuit perfecta sapientia, seu lux in mente Deum Creatorem totamq; rerum naturam monstrans, perfecta item iustitia, & voluntatis, omniumq; ceterarum Animæ virium harmonia inter sese, & cum Lege Dei conformitas, cuius radius in mentem hominis transfusus erat: integra deniq; voluntatis libertas præstandi perfectam, quam Lex Dei requirit, obedientiam. Homo quoque hoc donum integritatis retinens fuit in gratia Dei, & domicilium ipsius, & non solum

solum immortalitate in seculo futuro, sed
 etiam vigore anime & corporis in hac vi-
 ta donatus, ut de Mose legitur Deut. 24, Vestis ho-
 & de Calebo Ios: 14. Sed fraude Diaboli minis post
 hac bysso exutus, gratuitis spoliatus, in na- lapsum.
 turalibus vulneratus, & alia veste duplici,
 que est peccati & mortis, indutus est, qua
 circumcirca totus ita involuitur, ut vi pro- Vestis ho-
 pria sese expedire nequeat. Hae vestis minis crus-
 cruenta est & coram Deo abominabilis, enta.
 Ies: 1. Ezech: 16, quali Iosnam summum
 Sacerdotem fuisse indutum, Zach: 3. legi-
 mus, & qualis Ps: 109. describitur, ubi ma-
 ledictio Iudae proditoris omniumq; impio-
 rum & Ecclesie hostium vestis appellatur,
 qualem deniq; multifariam peccati & pae-
 narum sordibus faede ac miserè contami-
 natam gerunt, qui delictis atrocibus sese
 polluant, & ob eadem puniuntur. Quanquam Perizomata
 autem homo perizomata ficulna utcumque ficulna.
 sibi consuit, ut externam celet turpitudi-
 nem, adco tamen immunditiam illa inte-
 riorem tegere nequeunt, nedum tollere, ut
 panno mulieris menstruata comparentur.
 Iesa: 16. Homi-

vestis bys-
sina quid
significat
sacerdotes.

Vestis cur
dupplicata.

Vestis cur
bysina.

Hominem igitur hac veste cruenta,
qua sua ipsius, peccati & mortis est, ta-
metsi folijs fici se utcumq; ornare con-
tur, neque ad Deum accedere, neque cultus
ipsi gratos prestare posse, sed aliena sibi
veste opus esse, qua esset victima ventura
obedientia, Sacerdotes hoc habitu suo sunt
admoniti. Duplicata autem erat, quia
victima promissa, peccato & morte aboli-
tis, iustitiam & vitam redditura erat.
Ies: 40. Suscepit Hierusalem duplicia de
manu Domini pro omnibus peccatis suis.
Psal. 84. Gratiam & gloriam dabit Do-
minus omnibus, qui ambulant in innocen-
tia. Ioh. 1. Gratia & Veritas per Iesum Chri-
stum facta est, & D. Paulus Rom. 5. Gra-
tiam & donum per gratiam coniungit. Con-
fecta etiam erat ex bysso, quia victima
munda, Exo. 12. Leuit. 1. & 22. Deut. 15. &
17, Et ignem quidem ira Dei subitura, non
tamen sub ea peritura Ps. 16, Sed redi-
viva ex morte. Acto: 2. χρυσον auro pre-
ciosius Deo oblatura, 1. Pet. 1. & propitiatio
pro peccatis totius Mundi futura erat.
1. Ioh. 2.

1. Ioh. 2. Denique talaris erat, quia iustitia Christi imputata, homo coram Deo totus perfectè iustus est. Ioh. 8. Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Ioh. 13. Qui lotus est, totus est mundus. Rom. 8. Nulla nunc condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu. 1. Cor. 5. Estis azymi, &c.

Vestis cum
talaris.

Sicut autem vestis byssina hæcenus descripta, quæ omnibus communis erat Sacerdotibus, de utroque Dei beneficio, mirum de gratia & donis per gratiam ipsos admonuit: Ita si tres reliquas, Cinctorium, baltheum & mitram, quæ non totius corporis, sed certarum partiũ vestes & ornamenta erant, ad doctrinam penitentiae & triũ eius partiũ, hoc est, ad contritiõem, qua homo & præstantiam donorũ, quibus excidit, & miseriam suam, in quam per peccatum prolapsus est, agnoscit & deplorat, & ad fidem, qua sibi hæc gratuita Dei beneficia applicat, & ad iustitiam nouæ obedientiæ, quæ non perfectæ est, sed tantum incoacta, accommodemus, non satis erudite forsitan, piè tamen à nobis factum iri existimo.

Allegoria
reliquarum
vestium
omnibus Sa-
cerdotibus
communi-
um.

Cincto-

inctoris

1.

Cinctorium seu femorale non omnino caret mysterio, cum in materie & usus descriptione Spiritus Sanctus aliquid operæ posuerit, atque ad hunc fortasse locum Paulus alludens, 1. Cor: 12. Membra corporis, inquit, quæ putamus esse ignobiliora, his honorem abundantiorum circumdamus, & quæ inhonestasunt, abundantiorum honestatem habent. Agè igitur quare Deus illam corporis partem accuratè tegi & occultari voluerit, & inhonestiorem, ut videtur, suo honore dignatus sit, paucis videbimus.

inctorium
fimi ventris
is vestis.

Cinctorium byssinum fuit vestis infimi ventris, qui περιτοναίω circumscriptus sub diaphragmate continet organa & sedes est eius potentie. Anima hominis, quæ Platoni επιθυμητική seu appetentia naturalis, Aristoteli φυτική seu vegetativa dicta, sub sese θρεπτική, αυξητική και γεννητική, hoc est, Nutritiuam, Augmentatiuam & Generatiuam complectitur. Quoties igitur Sacerdotes Cinctorio induerentur, de integritate nature & puritate huius potentie,

rentia, & de ἀτοξία, quæ lapsum secuta est, sunt admoniti. Homo initio non tantum ad imaginem Dei, Gen. 1. & 2. sed etiam ad immortalitatem conditus est, si imaginem illam retineret, iuxta dictum Gen. 3.

Infima hominis potentia quasi in natura integra.

Quacumq; die comederis, morte morieris. Immortalitatis pars seu comes fuit ævangelia totius corporis & singularum partium, ab omni qualitatuum excessu & defectu recedens, & secundum proportionem Arithmeticam perfecte media, vigorq; animæ & corporis perpetuus ac continuus, morborum omnium & decrementi expers. Attributa est etiam homini non tantum nutriendi facultas, quæ huic vigori conservando serviret, sed etiam in mente fulsit solida natura cognitio, ne iudicium in obiectis erraret, cui mentis rectitudini voluntas in electione obiectorum liberè consensit. Præterea sicut ab uno arboris stipite rami, frondes et sirculi infiniti excrecentes & propagati fructum ferunt: Ita Deus ex uno homine Ecclesiam innumeram propagari, atq; ab ea tum in hac vita tum in omni seculis.

seculorum aeternitate agnosci, coli & celebrari voluit, ideoque alterum ei sexum adiunxit, & facultate similem ex sese speciem procreandi generandique donavit, iuxta dictum, Gen. 1. Crescite & multiplicamini, & replete terram.

Infima ho-
minis potēs-
tia post la-
psum, qua
lis.

Sed postquam homo per lapsum imagine Dei & immortalitate excidit, mala tristissima hisce bonis in natura ipsius successerunt. Nascitur enim cum homine *δυσκρασία* præcipuarum corporis partium vel à natura parentū vel ab infausto siderū positu orta, que hominem in utero et extra eum peccato & morti obnoxium reddit, & quanquam aliqua *μήbris* *εὐκρασία* *σύν* *φύσιν* inest, ea tamen neque perfecta est, neque diu durat, sed multifariam turbatur, tandemque perditur, & succedit *δυσκρασία* *ἐπιφύσιν*, que confirmatur & augetur, non tantum à causis externis, ut victu, aère, loco, sed præcipue ab internis & par tim à caligine mentis, & errore iudicij in obiectis, que cum salubria corpori esse existimentur, maxime perniciofa sunt, partim

partim à contumacia voluntatis, quæ contra mentis iudicium obiecta nature aduersa liberè eligit, quas ob causas nec vigor hominis continuus, nec vita perpetua esse potest. sed mors animalis & πρὸς ἄλλοις huius varij morbi tam αὐτόματοι, quàm ἐκδῶτοι hominem non tantum in παρακμῆ, sed omni ætatis gradu & tempore infestare solent, ut propemodum plures πρὸ τῆς ἀκμῆς & in ipsa ἀκμῆ propter peccatum, quod in his ætatum gradibus frequentius est, quàm senes παρακμάζοντες, morte peccati stipendio, Rom: 6. mulctari experientia communis comprobat, quæ prouerbio germanico locum dedit: Tergora vitulorum & vaccarum pari numero venalia esse. Στοιχῶν denique & sobolis procreanda studium, sexusq; ad sexum inclinationem diuinitus in natura ordinatam, horribilis ἀσογία, turpis libido & fœda carnis prurientis concupiscentia excepit.

Cinctorium igitur primò fuit Sacer- Cinctorium
dotibus tristis pœnitentiæ & contritionis pœnitentiæ
& contri-
tionis con-
cilio.

D

concio,

concio, quos admonuit de puritate harum
 hominis virium in natura integra, de im-
 mortalitate & de felicitate uniuersa pri-
 me integritatis & immortalitatis comite,
 de dignitate potentia generantis, quo solo
 medio Deus Ecclesiam eternam in natura
 etiam integra sibi collegisset, & nunc quoq;
 colligit, de dignitate Coniugij à Deo ipso in
 natura integra instituti, de prouidentia et
 bonitate Dei, que conspicitur in conceptio-
 ne, formatione, partu, nutritione, & edu-
 catione sobolis: De miseria item hominis,
 qui primo lapsu partim tātis bonis excidit,
 partim turpiter ea contaminauit, de im-
 munditie natura, que lapsum secuta est, &
 de mala concupiscentia, que est horribilis
 confusio ordinis diuini in natura, & tetri-
 cum venenum homini inhalatum, qui, ut
 ceteris corporis sui partibus & anime po-
 tentijs, ceu armis ad peccatū & iniustitiā
 abutitur, Rom: 5. ita hanc precipuè cotami-
 nat, que ad Ecclesiam in eternū propagan-
 dā homini attributa est, et quò purior fuis-
 set in natura integra, & quò dignior nunc
 quoq;

quoque est admiratione in natura corrupta,
 eo magis à Diabolo impuro & libidinoso
 Spiritu omni fœditatis & turpitudinis ge-
 nere horribiliter & miserè deformatur.

Postea Cinctorium Sacerdotes de
 gratia Dei & de fide monuit, quæ est al-
 tera pars pœnitentiæ. Deus enim par-
 tem illam corporis circumcidi voluit, ut
 hic circumcisionis ritus, non de immundi-
 tie tantum natura, quæ præcidenda es-
 set, sed etiam de fœdere Dei cum Abra-
 hamo, ipsiusque posteris inito, de Semi-
 ne, per quod omnes gentes essent bene-
 dicenda, & de promissione gratiæ Dei
 uniuersa, propter illud Semen benedictum,
 quam Abraham pater omnium credenti-
 um fide sibi applicans, iustus coram Deo
 reputatus est, Gen: 15. Rom. 4. Gal. 3. poste-
 ros Abraha admoneret. Quoties igitur
 Sacerdotes Cinctorium sibi applicarent,
 Circumcisionis recordati sunt, quæ erat si-
 gnum fœderis cum Deo, Gen: 17. 1. Sam. 17.
 Syrac: 44. Seminis promissi seu Messia, qui
 fœderis autor, et mediator erat promissionis

Cinctorium
 gratiæ Dei
 & fidei
 concio.

gratie propter illud Semen & propter
Messie sacrificium, deniq; fidei, qua pro-
missionem sibi applicantes, coram Deo
iustificati & non secundum carnem solam,
sed secundum fidem filij & heredes Abra-
ha fuerunt, cuius iusticie & fidei sigillum
erat Circumcisio, Rom: 4.

Cinctorium
noue obe-
dientie con-
silio.

Cinctorium denique Sacerdotes de ea
Noue obedientie parte, que est conformi-
tatis & iusticie & potentie infima
cum Lege Dei incoatio, & peccati in hac
carnis parte reliqui mortificatio, admo-
nuit.

Luxuria &
Gula pec-
cata verè
mortalia.

Pontificij inter septem peccata mor-
talia, Luxuriam & Gulam numerant, Et si
autem in presentia, neque de vocabulis,
neque de ipsa Pontificiorum doctrina dis-
puto: certum tamen est & experientia
nimis vera comprobatum, Intemperan-
tiam & Libidines esse homini causas mor-
tis, animalis & eterne non postremas, &
non solum iram Dei concitare, qui pœnis
tristissimis tam huius quam futuri seculi,
nisi fiat conuersio, in utrumque vitium

ani.

animaduertit, verum etiam δάκρυον φυ-
 τισι vniversam abolendo, & calidum hu-
 midumque primigenium elidendo mor-
 tem & fatum prematurum attrahere. Sic-
 ut autem Avaritia & Luxus alimenta
 quasi vicaria sibi præbent, Ouidio in Fastis
 teste, ita Intemperantia & Libido mutuas
 operas tradunt: Nam Venus in vinis,
 ignis in igne furit, & quod Venus sine
 Cerere & Libero frigeat, Comicus autor
 est. Sed hisce duobus verè mortem cor-
 poris & animæ maturantibus vitijs, Cra-
 pula, & Luxui aduersantur Temperantia,
 Sobrietas, σωφροσύνη, Parsimonia, Fru-
 galitas, Castitas, quæ & ipsæ sese mutuò
 fouent & nutriunt. De harum igitur vir-
 tutum studio, & de vitijs contrarijs ca-
 uendis, Sacerdotes Cinctorio sunt admo-
 niti, quæ est tertia pars pœnitentiæ.

Etsi autem hæ virtutes omnibus homi-
 nibus necessariae sunt, præcipuè tamen Sa-
 cerdotes facem earum ceteris præferre, & ne
 cōscientiam libidine portentosa polluerent,
 summoperè cauere Deus voluit, quod hæc

Virtutes
 Luxuriæ &
 Gulæ con-
 trariæ.

Sacerdotes
 his virtutis
 bus excel-
 lere debent.

enormiter polluti, cultus ipsi gratos prestare nequeant. Atque hec causa à Mose allegatur, qui, Tegant, inquit, carnem turpitudinis suæ, ne moriantur, & congruit Lex Leuit: 21. quæ coniugium castum & honestum Sacerdotibus præcipit, id quod obiter, & quasi πορσίργωε contra impurum Pontificiorum calibatum notatu dignum est, qui hac Lege contempta Religiosos suos, quos malè spirituales nominant, cum sint carnalissimi, ut de re turpi barbarè loquar, à Coniugio cum iactura salutis æternæ arcent.

Coniugium
Sacerdotum.

Zona seu
balthæus
legoria.

Zona seu balthæus fuit ornamentum mediæ ventris, qui supra diaphragma circumscriptus πλεύρα continet organa, & sedes est eius potentie, quæ à Platone θυμοειδής, ab Aristotele ὄργανον appellatur. Cor enim membrum huius ventris primum est fons & sedes affectuum. Quare Zona quoque fuit Sacerdotibus concio pœnitentiæ. Primum enim ipsos de puritate Cordis, & de harmonia potentie cognoscentis & appetentis dulcissima tam inter sese, quàm cum Lege Dei ante lapsum, postea de horribili affectuum contumacia contra

Zona concio
pœnitentiæ &
contritio-
nis.

Legem

ORATIO.

39

Legem Dei & rectum mentis iudicium fu-
 renter ruente, & de prauitate cordis, qua
 lapsum secuta est, & de qua tristes extant
 querela Gen. 8. Ierem. 17. Matth. 15.
 Applicatio Zone de fide, qua est fiducia
 cordis auro preciosior 1. Pet. 1. & qua ho-
 minum corda purificans, Act. 15: iustitiam
 Christi resipiscentibus circum circa totam
 applicat: Situs in pectore de ea noue
 obedientie parte, qua in affectibus bonis
 moderandis, malisque reprimendis, & in
 ceteris virtutibus Ethicis consistit, ut sunt
 Iustitia, Humanitas, Humilitas, Modestia,
 Mansuetudo, Misericordia & similes: Va-
 rietas colorum de donis Spiritus Sancti
 varijs, qui in cordibus piorum habitans &
 spiritibus tam animalibus quam vitalibus
 sese miscens, eosdem temperando lucidia-
 res, nobiliores, puriores, atq; ad operas spi-
 rituales idoneos reddit, qua dona quan-
 quam varia sunt, ut à D. Paulo 1. Cor. 12.
 Ephes: 4. recensentur, ab uno tamen co-
 demque Spiritu orta, Zone instar in
 orbem redeunt, & corpus Ecclesie,

Zona fidei
 concio.

Zona noue
 obedientie
 concio.

Zona in
 orbem res-
 diens.

D 4

quis

Zona bys-
sina.

quod & ipsum est unum, fouent & sub ca-
pite suo Christo in unitate fidei & bono-
rum operum continent: Byssus Zona ma-
teria seu stamen & appellatio Balthei de
ingenti lucta & certamine in affectibus
moderandis reprimendisque, cum seipsum
vincere gloriosum quidem sit, apprimè
tamen operosum & arduum, eosque qui
magna laude hostes, magnaque animi
constantia res aduersas superassent, non
rarò à sui ipsorum animi impetu & for-
tuna secunda euersos esse, non solum ver-
sus: At vindicta bonum vita iucundius
ipsa; Luxuriant animi rebus plerunque
secundis, Nec facile est aqua commoda
mente pati: Verùm etiam Achilles, ad
quem Bryseis frustra scribit: Vince ani-
mos iramq; tuam, qui cetera vincis: Sau-
lis, qui glorie Davidis inuidens, emula-
tioni & suspicionibus iniustis succubuit:
Davidis, qui cum rebus aduersis euertere
non potuisset, fortuna fauente libidini in-
dulget, aliaq; experientie quotidiana in-
finita exempla comprobent: Deniq; quod
ad

ad operas accessuri sacras, balthcum à pe-
ctore dependentem, in humeros reyce-
rent, virtutes Sanctorum suam inter homi-
nes laudem & admirationem mereri, sed
quoties cum Deo agendum sit, afferrì eas,
ipsiusq; iudicio opponi non posse: De his
inquam omnibus Zona seu balthcus Sa-
cerdotes, quoties sese cingerent, admo-
nuit.

Mitra capitis ornamentum fuit seu Allegoria
Mitrae.
supremi ventris, qui Cranio circumscriptus
continet organum, & sedes est eius poten-
tia, quae à Platone ἡγεμονικὴ dicta πῶς
λογιστικὴ & ministram huius αἰσθητι-
κὴ, ut Aristoteles numerat, sub sese
complectitur, quam potentiam virtutes
διανοητικαὶ, tum theoria, σοφία καὶ νοῦς;
hoc est, Sapientia & Intelligentia, tum
practica, φρονεσις καὶ τέχνη, hoc est, Pru-
dentia & Ars informant & perficiunt.

Quare quoties mitram Sacerdotes capiti
imponerent, primum de Imagine Dei, de Mitra cons-
cio poenis
tentiae.
luce & sapientia perfecta in mente ho-
minis ante lapsum, & de tristissima ca-

D 5

ligrine

Officia Sa-
cerdotum.

lignine que lapsum secuta est, postea de fide, que est notitia & noua lux in mente per Spiritum Sanctum accensa, denique de ea, noue obedientie parte, que in cultura ingenij & studio virtutum intellectualium consistit, & de omnibus, que ingenium & sensus hebetarent, studijq; diligentiam impedirent, cauendis admoniti sunt. Commendate enim erant Sacerdotibus precipue in Ecclesia, politica & vita uniuersa functiones & officia, ut doctrinam conseruarent & ad posterum puram propagarent, Malach. 2. ut causas iudicialis deciderent, Deut. 17. ut Templi, fisci & vasorum sacrorum curam gererent, & ritus sacros harmonia Musica augustiores redderent, 1. Paral. 25. & sequentibus, ut lepram & alios morbos iudicarent, Leuit. 13. & sequentibus, ut sacrificia ceterosq; ritus Mosaicos rite, & ut D. Paulus loquitur, 2. Timoth. 2. *ἱεροῦσιν* administrarent, Leuit. 1. & sequentibus. Hec verò omnia, cum neq; sine sapientia eximia intelligere, neq; sine prudentia

*dentia. & arte singulari peragere possent, ingenij vigore, iudicij acumine, studij diligentia, & in omnibus, que ingenium affligerent, declinandis, prudentia. & circum-
 spectione ipsis opus erat. Et congruit preceptum Levit. 10. Vinum & omne quod in-
 ebriare potest, non bibetis, ne moriamini, & ut habeatis scientiam discernendi inter
 sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, & doceatis filios Israel omnia
 mea legitima. Erat autem mitra sursum elenata, quia donis ingenij ad gloriam Dei
 1. Cor. 10. utendum est, & erat byssina, quia sine sudore & labore arduo nec ingenium
 excolitur, nec eruditio acquiritur aut retinetur, & ad usum donorum ingenij candor
 requiritur Sophistica & Sycophantica contrarius. Sed eadem alio erat aperta velamine,
 ne circa sacrificia laboranti corrue-
 ret, quia ratio humana in diuinis caeca est, ideoque in obsequium Christi captiva du-
 cenda, 2. Cor. 10. sine quo velamine cum diuinis intempestiue sese ingerit, a Spi-
 ritu Sancto non suffulta corrui.*

Temperans
 tia Sacerdos
 tibus pres
 cepta.

Mitra cur
 sursum ele
 uata.

Mitra ve
 lamine cur
 aperta.

Dictum

ORATIO

44

Ornatus
summi Sacerdotis
proprius.

Judicium in
allegorijs
librum.

Dictum est haecenus & rudi Minerva declaratum, quid vestitus omnibus communis Sacerdotibus significarit, & quid ipsos monuerit: Nunc series Orationis postulat, ut de ornatu summi Sacerdotis proprio dicam, quoties ad muneris sui operas accederet. Etsi autem alij alias hoc loco allegorias non sine ingenij & pietatis laude querunt, quas magnifacio, & propter autorem Spiritum Sanctum admiror & veneror: Cum tamen sua cuique mensura Spiritus concessa sit, Ephes: 4. qui pro beneplacito suo varia in Sanctis dona operatur, 1. Cor. 12. & ludus ingenij humani in allegorijs inveniendis sit liberrimus, non modò veniam, sed suam quoque laudem merebitur, qui in allegorijs investigandis ita suam à ceteris sententiam sciunxerit, ut fidei orthodoxa sit ἀνάλογος, Rom: 12. Propheta enim qui habet somnium, narret somnium, & qui habet sermonem Domini, loquatur eum verè, Jerem: 23. Quisquis enim loquitur, sermones Dei loquatur, 1 Pet: 4. Sed redeo ad propositum.

Primo

Prima inter vestes Summi Sacerdotis Tunica hy-
 proprias erat Tunica hyacinthina, voca- acintina.
 tionis ad Sacerdotij munus legitima atq;
 ordinariae symbolum. Qui enim in aliquo
 sunt eximio vite vel officij genere, hi non
 in quotidiana tantum conuersatione, sed
 tum praecipue, cum in ipso munere sui
 actu versantur, peculiari ornatu & habitu
 uti, atq; à ceteris hominibus distinguè
 solent. Hac igitur tunica quoties induere-
 tur Sacerdos, non de vocatione tantum
 legitima, & dignitate muneris sui, quod
 mandato Dei gereret, sed etiam de sin-
 gulis eiusdem partibus & de modo geren-
 di, ac medijs quae ad id rectè gerendum
 requiruntur, admonitus est, sicut miles
 πανοπλίω induens, non ad pompam nu-
 ptialem, sed ad labores praely acerrimos
 sese accingi, & strenuè pugnando vel vin-
 cendum vel pulcrum per vulnera mor-
 tem oppetendam sibi esse cogitat. Tunica Tunica cus-
 autem erat talaris, quia unaquaq; ve- talaris.
 catio & in primis Ecclesiastica totum re-
 quirat hominem, & uni functioni unus
 homo

homo vix sufficit, ideoq. πολυπραγμοσύνη
 qua arroganter & ambitiose alienis sese
 ingerit, vel multa simul suscipit, non tan-
 tum vires ingenij hebetare & distrabere,
 sed etiam infelicem esse, tum experientia
 communis, tum scriptura dicta testantur,
 que hoc vitium improbant: Petrus enim
 ἀλλοτρίοις κήρυξ ἐσσε̄ vetat, 1. Pet. 4. &
 Syracides cap. 3. Que tibi, inquit, man-
 data sunt, semper cogita, & Paulus 1. Thess.
 4. In hoc sitis ambitiosi, ut propria facia-
 tis. Atque hanc ob causam Sacerdotibus,
 quod doctrina & cultuum diuinorum cu-
 ram gererent, certi redditus attributi erāt,
 ne victus causa vel doctrinae studium
 abijcere, vel aliena à vocatione sua tracta-
 re cogerentur, id quod hoc loco obiter tum
 contra Pontificem, qui ex πολυπραγμοσύνη
 & superbia, utrumq. gladium sibi arrogat,
 tum contra Theologos istos, qui unum in
 curia, & alterum in templo pedem, more
 Cleoneo, vel stiuam frequentius, quam li-
 brum manibus habere solent, notatu dignū
 est. De fimbria tunice hyacinthina pen-
 debant

debant tintinnabula aurea, quorum sonitus non tantum pie devotionis populum, sed etiam pure doctrina, quam sonare & sartam tectam populo ac posteritati tradere debebat, diligentia item & fidei in officio suo Sacerdotem admonuit, ne, ut Moses inquit, moreretur, quia Deus ministris ignavis, ut canibus mutis, tristes pœnas minatur, Ies: 56. Ierem: 23. Ezech. 33. & 34. Malo granata tintinnabulis per vices inserta, perpetuam Ministerij doctrinam puram sonantis copulationem cum sponsa Christi Ecclesia, cuius genas Salomon fragmini mali punici seu granati comparat, Cant. 4. vel effectum pure doctrinae precipuè representarunt, quemadmodum enim vinum mali punici æstus corporis febriles, ita pura doctrina æstus peccati & ire Dei restringit, Ies. 4. 25. 49. Ierem. 17. Ps. 121.

Malogranata
nata.

Venio ad Ephod seu Epomidem siue superhumerale, cuius usus erat, ut iniectum humeris tunicam hyacinthinam cōstringeret et corpori applicaret eo tempore, quo summus Sacerdos vel sacrificia perageret vel oracula redde-

Allegoria
Epomidis.

Materia Epomidis discolor.

Forma Epomidis
Τετράγωνο.

Quinque filorum genera.
Quinque virtutes
Διανοητικαί

redderet. Quare discolor Epomidis materia de varijs Spiritus Sancti donis, tum ad doctrine & cultuum tractationem, tum ad vite uniuersae gubernationem necessarijs, forma vero Τετράγωνο & de excellenti & perfecto donorum gradu, quo ceteris hominibus antecellere, et ceu facem praeferre, omnium oculos in sese conuertere, & admirationem sui parere debebat, Summum Sacerdotem admonuit. Quemadmodum autem Epomis ex quinque filorum generibus contexta erat: ita quinque erant virtutes Διανοητικαί seu Intellectuales, quibus animum ipsius atque ingenium excultum esse oportebat. Επισήμη seu scientia solidaque & ex fontibus Israel hausta doctrina caelestis cognitio. Νοε, seu Intelligentia, & de rebus dubijs δάμμιε σοχασικη seu coniectandi vis: & veri ac falsi, boni maliq; discretio: σοφία seu sapientia & notitia certa atque iudicium de omnibus dictis & factis, tam diuinis quam humanis, quae officij sui propria erant, limatum, omnibusq; absolutum numeris: φρόνησις seu prudentia & sagax animi

animi in agendo & uniuersa conuersatione circumspēctio, denique τέχνη ἐν τῷ διδάσκειν καὶ ὀρθοτομεῖν, seu Ars & longo usu acquisita tam uerbum quam cultus diuinos tractandi ratio & exercitatio.

Quinque etiam virtutes erant ἠθικαὶ seu ^{Quinque} _{virtutes} ἠθικαὶ. ^{ἠθικαὶ.} morales, quibus excultum ipsum esse oportuit, Pietas religiosa & uita uniuersa integritas, cum doctrina, quam sonaret, congruens, zelus pro gloria Dei & ueritate doctrinae diuinus, & cum fide, diligentia & studio recte faciendi officium coniunctus, celsitudo & constantia animi, odia hominum & pericula officium comitantia patienter ac fortiter superantis, humilitas infra ceteros sese demittens, sed coniuncta cum grauitate, ne contemptum pareret, denique humanitas coniuncta cum candore. Haec igitur utriusque generis virtutes, quae partim officium & doctrinam, partim uitam Sacerdotis uniuersam spectabant, in ceteris Sacerdotibus mediocres, sed in summo excellentes esse atque ad summum perfectionis gradum quam proximè accedere debebant.

E Cn3-

Duo Ony-
ches.

Onyches gemini humeris summi Sa-
cerdotis infixi vel duorum Sacramento-
rum Circumcisionis & Agni Paschalis, qui-
bus hic populus ceu tesseriis à reliquis gen-
tibus distinctus erat, vel rectius Ecclesiae,
quæ verbo & duobus illis Sacramentis ceu
fibulis consociata erat, & cuius cura in-
cumberebat summo Sacerdoti, symbola erant.
Fortassis etiam gemini Onyches utranq[ue]
Ecclesiam repræsentarunt, Iudeorum unã
& alteram Gentium, quæ in veteri Te-
stamento particularis & ex viris religio-
sis ac Profelythis collecta erat, sicut in nouo
Catholica esse cepit. Quemadmodum au-
tem Onyches, Deo sacrificia approbante,
splendorem debebant eximium, tametsi ille
gemmis per se non inesset: Ita Ecclesia à
Mundo quidem & filiis huius seculi sper-
nitur: In Mundo tamen inter varias æ-
rumnas splendet & ceu palma contra cru-
cem assurgens emicat, nam & Deo curæ
est & inermis ipsa, Dei tamen providen-
tia miranda defenditur, & non tantum
sacrificia & cultus ipsius, ut fides, spes,
dile-

Onyches
splendens
tes.

dilectio, inuocatio, patientia, & varia
 pœnitentiæ exercitia Deo placent. Ps. 51.
 Iesa. 66. sed etiam bona ipsius opera co-
 ram hominibus lucent, & gloria Dei il-
 lustranda seruiunt, Matth. 5. 1. Cor. 10.

Logion seu Rationale, quo summus Logion seu
 Sacerdos oracula reddere solebat, doctrine Rationale.
 symbolum fuit. Huius in pectore situs Sa. Situs.
 cerdotem de amore verbi, seriâque & fi-
 deli eius conseruandi propagandique cu-
 ra & studio: Nomen tetragrammaton
 gemmis subscriptum de autore doctrine,
 in hoc populo sonantis, solo Deo, de presen-
 tia ipsius in peculio suo, & de diuina per
 ministerium Sacerdotis efficacia: Figura Figura quas
 quadrata de corpore doctrine omnibus ab-
 drata.
 soluto numeris: Structura duplicata de v. Structura.
 trag, doctrine parte, nimirum Lege &
 promissione gratiæ: Nomina denique Pa- Nomina
 trum singulis inscripta gemmis de Ecclesia, Patrum
 qua columna est veritatis & doctrine cu- gemmis ins-
 scripta.
 stos, monuit. Erant autem in pectorali Vrim Vrim &
 & Thumim, quia cum reliqua pars generis Thumim.
 E 2 humani

humani in tenebris & umbra mortis sederet, Ies. 9. & 69. Luc. 1. & prestigijs oraculorum Diaboli fascinata, qui mendax est & homicida, Ioh. 8. à vero Deo aberraret, & captiua tristem sub ipsius tyrannide seruitutem seruiret, Ies: 49. Act. 26. Ephes: 2. doctrina in hoc solo sonans populo erat lux à Deo accensa, Ps: 147 essentiam & voluntatem ipsius monstrans, cui promissiones & minæ erant additæ, Exo: 20. Leuit: 27. Deut: 28. que non erant inanis sonus, sed immota Dei veritas, Deo ipso, quicquid boni aut mali peculio suo vel hostibus prædixisset, potenter exequente.

Duodecim
gemmae.

Sardius.

Duodecim Logij gemmae non temerè coaceruatae sunt, sed varias doctrinae diuinitus patefactæ, Legis nimirum & promissionis gratia, vires, proprietates & effectus repræsentarunt. Sardius, ut Physici scribunt, accendit animum ad gaudium, & acuit ingenium. Lex enim Domini immaculata, recreans animas. Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis, Psal: 19. Et, Testimonia tua gaudium

gaudium meum, & viri consiliarij mei,
 Psal: 119. & patres miseria sua ex Lege
 Dei agnita, cum gratiam promissam fide
 apprehenderent, iustificati coram Deo &
 noua luce & letitia perfusi sunt. Sic Abra-
 ham pater omnium credentium, Rom: 4.
 cum Deo crederet, iustus reputatus, Gen:
 15. & cum diem Christi videret, letatus
 est, Ioh. 8.

Topazium si quis in aquam immit- Topazius.
 tat bullientem, sine lesione manum im-
 missam retrahit, quia Patres sese propter
 peccatum ire Dei bullienti, morti & omnis
 generis arumnis immersos, & iusto Legis
 iudicio, ceu grandi mole obrutos, Psal: 38.
 esse, sed si promissioni gratiae crederent,
 incolumes emergere certo statuerunt, iuxta
 promissionem Ies: 43. Cum transieris
 per aquas, tecum ero, & flumina non ope-
 rient te, quia ego Dominus Deus tuus,
 sanctus Israel, saluator tuus. Topazius
 vulneri impositus, fluxum sanguinis sistit.
 Si quis enim in Veteri Testamento sagittis
 Dei saucijs esset, ipsiusque vulnera pu-
 tresce-

rescerent & corrupta essent propter insipientiam, Ps: 38. vel peccata essent, ut coccinum, & rubra quasi vermiculus, Iesa: 1. & victime promissæ meritum suis applicaret vulneribus, niuis instar vel lane dealbatum ea & liuore Messie se sanatum iri, ex verbo Dei firmiter statuit, Ies: 1. & 53. Si Topazius supra rem bullientem suspendatur, bullæ cessant, & idem Veneris ardorem & iram restinguit, quia verbo Dei humilitas, mansuetudo, humanitas, castitas & aliæ virtutes sancuntur, quæ bullas superbiæ & æstus irarum ac libidinis reprimunt.

Smaragdus.

Smaragdus prodest contra venena, lepram, epilepsiam, morbum comitiale. Quare Sacerdotes huius gemmæ monitu agnouerunt, verbum Dei esse antidoton contra venenum Diaboli, contra lepram animæ, quod est peccatum originis, & contra peccata actualia, in quæ non mensibus aut diebus, sed momentis singulis precipites ruimus. Semen enim erat promissum

missum primis Parentibus, quod aliquando
caput serpentis contereret, Gen: 3. & di-
ligens Legis diuinæ obseruatio seuerè e-
rat præcepta, ne plagam lepræ incurre-
rent, Deut: 24. & David exemplo suo
pios hortatur, ut vias Domini custodiant,
nec impiè gerant à Deo suo, sed omnia
eius iudicia in conspectu habeant, &
iustitias eius à se non repellant, Ps: 18.

Smaragdus visum confortat & incolu-
mem conseruat. Præceptum enim Domini
lucidum, illuminans oculos, Ps: 19. Sma-
ragdus aduersatur libidini, ideo in coitu
frangitur. Quia casta Deus mens est,
casta vult mente vocari. Et castas ius-
sit pondus habere preces: & libidine pi-
etatem ac preces impediri & libidinosos
Smaragdum, hoc est, lucem verbi in voca-
tione, totòque vite cursu præuiam amittere,
Spiritus Sanctum ducem excutere, gratia
Dei excidere, & cecitate, erroribus men-
tis in consilijs, vocatione & vita vniuersa,
alijsq; tragicis malis puniri, non tantum
Sodomitarum, Beniamitarum, Davidis,

Sed etiam experientie communis exempla comprobant. Gryphes denique commoda Smaragdi invidentes hominibus, magna hanc gemmam crudelitate tuentur. Quia Diabolus salutem invidens hominibus, verbum depravat, & cum potest, eis eripit. Sacerdotes igitur puritatem verbi contra Diabolum & Pseudoprophetas, ceterosque Doctores impios, Diaboli organa, si corruptelas verbi spargerent, magno Spiritus impetu magnaque studij assiduitate sartam tectam sibi conseruandam & vindicandam esse, ex huius gemmae intuitu agnoscebant.

Carbunculus
culus.

Carbunculus gemma est omnium preciosissima, omniumque ceterarum virtutibus praedita, colore igneo, & nocte magis quam die lucet, quia die obscuratur, sed nocte ita lucet, ut eam circa sese quasi in diem conuertat. Has proprietates verbo Dei competere, fulgor huius gemmae Sacerdotes monuit, earumque consideratio haec dicta dulcissima peperit, Ps: 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum,

&

& lumen semitis meis, Mich 7. Cum
 sedero in tenebris, Dominus lux mea est.
 Ps: 18. Dominus illuminat tenebras meas,
 Iesa: 60. Illuminare Hierusalem, quia ve-
 nit lux tua, & gloria Domini super te orta
 est. Quia ecce tenebrae operient terram, &
 caligo populos, super te autem orietur Do-
 minus, & gloria eius in te videbitur. Et si
 enim lux quaedam mentibus hominum est
 congenita, quam industria humana exci-
 tavit & corpus Philosophiae extruxit: nocti
 tamen & tenebris similior ea est, quam
 luci, si cum fulgore verbi diuini confera-
 tur, imò nox ipsa est, nisi hoc carbunculo
 illustrata fuerit. Quomodo autem
 vel carbunculus dici, vel aurora Soli cedit,
 ita Moyses Christo, ministrum Domino, &
 Carbunculum verbi in hac vita lucen-
 tem splendori lucis aeternae in futuro seculo
 cedere oportere, hac gemma monuit. Nam
 & Moyses alium Prophetam, qui venturus
 sit, perinde ut sese audiendum, & Deum
 ipsum, si quis audire contemnat, ultorem
 fore praedicit, Deut: 18. & Petrus: Ha-
 beris,

benus, inquit, firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, 2. Pet. 1. Cum enim hac die in finali destructione Mundi illuxerit, Carbunculus verbi obscurabitur, & Dominus ipse erit in lucem sempiternam, Ies: 60. Nunc enim videmus per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, 1. Cor. 15. cum Deus erit omnia in omnibus.

Sapphirus.

Sapphirus anthraces curat, qui inter ulcera desperata numerantur: Prodest contra fraudes, invidiam & terrores, e-
ducit vincetos carcere, pacem conciliat. Has Sapphiri vires verbo Dei congruere, dicta testantur, Ierem: 30. Insanabilis est dolor tuus, sed ego à vulneribus tuis sanabo te, Ps: 18. Laudans invocabo Dominum & ab inimicis meis saluus ero, Ps: 118. Dominus mecum, nō timebo, quid faceret mihi homo. Dominus mecum & adiutor meus, & ego gaudebo de osoribus meis. Ps: 119. Super inimicos meos prudentem me fecisti man-
dato

dato tuo, Ps: 27. Dominus illuminatio
mea & salus mea, quem timebo? Domi-
nus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

Ps: 107. Dominus contriuit portas æreas,
& vectes ferreos confregit, Ps: 146. Do-
minus soluit compeditos. Hanc denique
Sapphirum Abraham & omnes posteri
ipsius ὡνόστοι, Ioh. 8. Rom. 4. & 9. fide
apprehendentes, coram Deo iustificati,
verè liberati, in fœdus commune recepti,
& amici Dei facti, pacem erga Deum ha-
buerunt, Gen: 15. & 17. Iudith. 8. Rom 5.

Adamas nec igne nec ferro fran- Adamas.
gitur, ideoque eo utuntur, qui rebus du-
rissimis literas inscribere vel imagines
insculpere volunt: Prodest contra insa-
niam, bestias indomitas, iurgia, rixas,
venena, phantasmatum incurfus, &c. Sic
verbo Dei ceu Adamante tres viri in
fornace Babylonica contra violentiam
ignis præservati sunt, Dan: 3. Verbo
Dei populus Israel munitus, ferro hostium
suorum superari non potuit, Iudith. 5.

Verbo

Verbo Dei durities cordis humani molli-
tur, quia est malleus petras comminuens,
Jerem: 23. & penetrabilior omni gladio
incipiti, & pertingens vsque ad diuisio-
nem animæ & spiritus, Heb: 4. Verbum
Dei stultos ad mentem saniozem reuo-
cat, Pro: 9. Verbum Dei contra furores
Diabolorum ac Tyrannorum, & contra
fraudes Hereticorum tutum est & tutos
reddit, denique contra verbum Dei &
Ecclesiam portæ inferorum præualere ne-
queunt, Matth: 16.

Lyncurius.

Lyncurius ex urina Lyncis nasci-
tur, cuius gemme usum animal istud ho-
minibus inuidens urinam terra obruit,
sed hoc ipso nihil aliud efficit, quam ut
gemma eò facilius concreascet & genero-
sior fiat. Ad eundem modum, quo maio-
ribus tenebris Diabolus verbum Dei in-
uolueret conatur, eò magis emergit, &
velut argentum igne examinatum in
vasè testaceo purgatum septies emicat,
Is: 12. Prodest Lyncurius vulneratis, quia
ferrum ex vulnere extrahere scribitur.

Verbum

Verbum Dei enim conscientie in eru-
mnis ex sensu ira Dei & conspectu atroci-
tatis peccatorum saucia consolatione præ-
senti medetur, Ps: 119. Hæc est consolatio
mea in afflictione mea, quod eloquium
tuum vivificavit me, & nisi lex tua de-
lectatio mea, tum perissem in afflictione
mea. Ferunt ad Lyncurium omne fera-
rum genus, natura docente, quasi ad Pa-
tronum sponte concurrere, & à canibus ac
venatoribus immune esse. Turris enim for-
tissima est nomen Domini, ad ipsam currit
iustus, & saluatur, Pro: 18. & de manu ca-
num quibus circumdatus est, eruitur. Ps:
22. quia ad hoc signum Gentes confugiunt,
Iesa: 11.

Achates prodest contra viperarum Achates.
& scorpionum morsus. Quisquis enim ver-
bum Dei amat, non solum calumnias odit
ipse, Ps: 101. sed etiam ab aliorum calum-
nys tutus est, Ps: 119. Achates pruden-
tes, facundos, amabiles & gratos reddit.
Quisquis enim præcepta Dei, circumdat
gutturis suo, & describit in tabulis cordis
sui.

sui, hic gratiam & disciplinam bonam inuenit coram Deo & hominibus, Pro. 3. Rom. 14.

Amethystus

Amethystus ebrietati aduersatur, ideoque hominem reddit vigilantem, malas cogitationes pellit, intelligentiam acuit, contagium prohibet, & ab eodem infectos liberat. Hec quis non videt verbo Dei competere? Moses enim Sacerdotibus precipit, ut ebrietatem vitent, Leuit. 10. Salomon eius turpitudinem & incommoda exaggerat, Pro. 23. Iesaias in ebriosos duriter inuehitur, Ies: 5. & Paulus regno Dei ipsos excludit, 2. Cor. 5. & ebrietatem vitare iubet propter ἀσωτίαν, quae sequitur, Ephes: 5. Cogitationes mala, Job. 5. Ps: 94. Pro. 15. Ezech: 11. Zach: 8. Matth. 5. 9. & 15. commercia verò cum impijs, ne ipsorum contagio insiciamur, Deut. 7. 1. Cor: 5. & 15. 1. Pet: 4. improbantur & prohibentur, & virtutes hisce vitijs oppositae, Σωφροσύνη, vigilantia, studij assiduitas, commercia piorum passim precipiuntur.

Chryso.

ORATIO

63

Chrysolithus
thus.

Chrysolithus prodest contra pusillanimitatem & metus melancholicos, pellit demones, aduersatur nocturnis pauoribus & molestijs intersomnijs, promouet sapientiam & constantiam animi, ideoque à mercatoribus amatur, quòd solertiam excitet. Sic verbo Dei pusillanimes confortantur, 1. Thess: 5. consternati eriguntur, Heb: 12. timidi confirmantur, cum Deus non dederit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, 2. Tim. 1. & congruunt exempla Abrahe, Gen: 15. Isaaci, Gen: 26. Iacobi 46. Mosi Exo. 14. Iosue cap: 1. & 7. Dauidis 1. Sam: 12. qui verbo Dei ex pauoribus liberati sunt, & quanquam Diabolus circumit tanquam leo rugiens, & querit quem deuoret 1. Pet. 5. fugit tamen ab ijs, qui fortes in fide resistunt, Iac: 4. Veritas quoque Domini est scutum & clypeus ijs, qui in adiutorio Altissimi habitant, ne timeant à timore nocturno, Ps: 91. solo denique verbo prudentes reddat & solertes mercatores istos, qui margaritam hanc preciosam emunt, parabola testatur Matth. 13.

Onyx

Onyx.

Onyx gemma, ut Plinius refert, lib. 37. cap. 6. plurimas variâsque cum lacteis Zonis habet venas, in omnium transitu colore inenarrabili & in unum redeunte concentum. Hac gemma vel harmoniam doctrinae uniuersae diuinitus tradite, vel concordiam docentium & discientium, quam Psalmus 133. magnificè commendat, adumbratam esse, quis non videt? Onyx aduersus Venerem pollere, & fastum animi aliôsque affectus noxios arcere scribitur, quia verbum Dei libidini, superbie & alijs prauis cupiditatibus aduersatur.

Iaspis.

Iaspis gemmarum ultima contra venenum prodest, aciem oculorum resicit, petulantem Venereorum appetentiam retundit, phantasmata pellit, quae omnia verbo Dei competere, iam ostensum est. Peculiare huic gemmae est, quod si quis Iaspidem inueniat viridem, cui crucis imago inest & secum gestet, in aquis non mergitur. Verbum Dei enim, quod est doctrina crucis Christi & nostrae, neque
limo

limo peccatorum nos immergi, neque tentationum impetu abripi, neque arumnarum procellis obrui finit. Hac Iaspide arca Noe inter aquas cataclysmi vniuersalis fluctuans, incolumis conseruata est, Gen: 7. Hanc Iaspidem secum gestans populus Israel fluctus maris rubri superauit, Exo: 14. & Iordanem transiit, Ios: 3. Eadem hac Iaspide instructi, mare angustiae in articulo vitae nostrae, duce Christo, superabimus, Mich: 2. Zach: 10. & neque tempestas irae Dei nos demergere, neque profundum inferni nos absorbere, neque puteus aeterni interitus os suum super nos obstruere poterit, Ps: 69. Iosephus ultimam gemmam Berillum appellat, quae gemma doloribus oculorum medetur, contra segnitiam, & contra iniurias hostium pollet, ingenio prodest, & amorem inter Coniuges mutuum conciliat, quae omnia verbi Dei fructus esse, ex praedictis patet. De his igitur & similibus verbi diuinitus in hoc populo patefacti proprietatibus & viribus, Sacerdotes intuitu & consideratione gemmarum

Berillus.

in Logio seu pectorali esse admonitos, minime dubium est.

Catenulae
& annuli.

Catenulae & annuli, quibus Logion seu Pectorale ad Onychas humerales superne annexum erat, partim corpus doctrinae, cuius omnes articuli catenae instar sunt continua copulatiua, ut unum ex eis impugnans totum labefactet aedificium, & in uno delinquens, sit reus omnium, Iac. 2: partim perpetuam verbi & verae Ecclesiae copulationem, cuius signum infallibile est verbi puritas: Vitta vero hyacinthina, qua Logion inferne Epomidi alligatum erat, dilectionis vinculum, quo Spiritus Sanctus animos Ministrorum tam inter sese, quam cum caetu auditorum uniuerso iuxta praeceptum, Ps: 133. consociat, praefigurarunt.

Vitta hyacinthina.

Splendor
Logij cessauit.

Quod autem Iosephus scribit, splendorem in Logio cessasse ducentis ante sua tempora annis, cum prophanitate populi crescente, 1. Maccab. 2. & 2. Mac. 4. & Sectis exortis doctrina fermento Pharisaeorum & Saduceorum, Matth: 16. corrumpi

vump
opini
donec
num

summ
tutes
senta
in su
to per
didio
illius
tio.

talis
tunic
cerdo
gnita
sed
Eccle
niba
clesia
ter



vumpi cepit, indicio est, lucem verbi diuini
opinionibus humanis paulatim obscurari,
donec ingratitude & prophanitate homi-
num inualescente prorsus perditur.

Restant Zona & Mitra, ornamenta Zona &
mitra Sa-
cerdotalis.
summi Sacerdotis propria, quarum illa vir-
tutes ἠθικὰς, hac διακοντικὰς esse repre-
sentatas, supra dictum est: Vtrasque verò
in summo Sacerdote quàm in ceteris tan-
to perfectiores esse oportebat, quanto splen-
didior maiorisq; precij erat zona & mitra
illius, quam horum materia & composi-
tio. Zona insuper seu baltheus Sacerdo- Zona sum-
mi Sacera-
dotis.
talis ad hunc factus usus, ut Epomidem
tunica hyacinthine exacte applicaret, Sa-
cerdotem summum, ne munere suo ad di-
gnitatem, affectus & commoda priuata,
sed ad gloriam Dei & ad communem
Ecclesie salutem vteretur, de certami-
nibus item pro gloria Dei, pro salute Ec-
clesie, & pro veritate doctrine constan-
ter & intrepide obeundis superandisque:

Mitra summi
Sacerdotis.

Semicirculus
lunae & lamina
aurea.

Thuribulum.

Balsamum.

Mitra verò hyacinthina, quae ut hodie, ita olim quoque, fuit ornamentum docentium, monuit dona ingenij ad officij administrationem ita accommodanda esse, ut salutem Ecclesiae quam semicirculus, & gloria Dei, quam lamina aurea representabat, serviret. Lamina Lunam corniculatam referens imperfectionis donorum in hac vita erat symbolum, quae studio ac precum assiduitate & quotidianis poenitentiae exercitijs incrementa capere oporteret, iuxta dictum, Matth. 25. Habenti dabitur, donec orbem suum compleverit in seculo futuro & vita caelesti, quam cornua sursum conversa praemonstrabant.

Thuribulum denique, quo summus Sacerdos semel in anno Sanctum Sanctorum ingrediens, sed bis singulis reliquis anni diebus, nimirum mane & vespere incensum adolebat, sacrificij per victimam venturam semel peragendi, & deinceps toto Mundi & vitae tempore credentibus applicandi, perpetuaeque pro Ecclesia intercessionis, Heb: 10. Balsamum verò, quo perfundi

perfundi solebat, Spiritus Sancti, qui Ministerium conseruat, & non tantum in Ministris dona operatur, 1. Cor: 12. sed etiam in audientium cordibus est efficax, Act: 15. & unitate fidei totum Ecclesie corpus consociat, fuisse symbolum, partim ex historia Aaronis, qui stans inter viuos & mortuos, & incensum adolens Deum iratum placat, Num: 16. partim ex dictis, Ps: 45. Unxit te Deus, Deus tuus oleo letitie, Ies: 61. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, & alijs similibus cernitur.

Hoc igitur ornatu summus Veteris Testamenti Sacerdos instructus ad quatuor officij sui partes accedere solitus est.

Quatuor
summi Sacerdotis
officia.

Primum enim docebat populum, non noua tantum proferens oracula ex decreto Dei arcano, & futura, dubia atque ambigua explicans & sciscitantibus respondens, sed etiam priora de essentia & voluntate Dei in doctrina Legis & promissionum iam prolata illustrans, sarta tecta custodiens, & ad posteritatem propagans. Num: 27.

F 3

Deut:

II. Sacrificia
care.

Deut: 17. Malach: 2. Postea sacrificia pro populo offerebat, quæ vel statis temporibus Deus offerre iusserat, vel quæ spontanea erant, quoties quæquã ex reliqua populi parte ad cultus diuinos sua incitaret pietas, atque hæc erant vel ἱλασµῶν, hoc est, propitiatoria & typi sacrificij Christi: vel εὐχαρισµῶν, quibus Deo pro certis beneficijs gratia agebantur: vel δίδασκα, quæ erant signa gratitudinis erga Ministerium, eidemq; conseruando & Ministris

III. Orare.

alendis seruiabant. Tertio pijs pro populo & ardentibus intercedebat precibus: vel continuis, quoties manè & vesperi incensum adoleret, vel extra stata & ordinata tempora, si quando Deo irato tragicus ali-

IV. Bene-
dicere.

quis casus accideret. Num: 16. Quarto deniq; benedicebat populo, nõ pia tantum pro populo vota & optines faciens, ut Dei propitij gratia, quæ fons est & causa omnium animæ & corporis bonorum, participes fierent, sed iam ea frui & participes esse factos asserens, & ipsius Dei mandato pronuncians, Leuit: 9. Num: 6. ubi formula benedi-

benedictionis certis concepta verbis legitur.

Habes Corona auditorum incluta & augustissima duas Orationis meae partes, quarum prior seriem & descriptionem vestitus & ornatus Sacerdotalis in Veteri Testamento, & altera quid idem significarit, qui due Sacerdotes monuerit, quantum fert tenuitatis virium mearum & temporis ratio, ostendit. Nunc series eorum, quae initio proposui, & temporis angustia ad tertiam partem me vocant, & allegoriam querere atq; ostendere iubent, quo modo typus ad veritatem, umbra ad corpus, & vestes atq; ornamenta Sacerdotum in veteri, ad Filium Dei summum Sacerdotem in Novo Testamento, Hebr. 5. & 8. & ad reliquos Christianos, quos ille Sacerdotes fecit, Apocal. 5. & quos D. Petrus hostias spirituales Deo per Christum acceptas offerre iubet, 1. Pet: 2. congruant. Sed & hic, cum ingenij humani industria, pro mensura Spiritus unicuique concessa in allegorij sese mirificè oblectare, & iudicia

Transitus
ad tertiam
Orationis
partem.

libera esse soleant, veniam, ut existimo, merebor, si, quae dixerò, sint ἀνάλογα fidei, iuxta Pauli præceptum, Rom: 12. tametsi ab aliorum sententijs aliquantum discrepent.

Vestitus
Sacerdotas
Ihs Christi.

Etsi igitur aliqui duplicem summi Sacerdotis habitum ad utranq; in Filio Dei naturam accommodant, ut byssina diuinam, quae interior est & sub humana latuit, hyacinthina verò humanam, quae est exterior, omnium sensibus obuia, & quam Apostolus suis se vidisse oculis, suisq; contrectasse manibus, 1. Ioh: 1. affirmat, & quam λόγος in unitatem Personae suae assumpsit, Epomis verò dona, quae Filius Dei non secundum mensuram, Ioh: 3. sed secundum plenitudinem Spiritus accepit, significant: ab analogia tamen fidei non videbor aberrare, si intralimites partitionis vestium Sacerdotalium in Veteri Testamento supra praefixos meipsum continens, quasdam vestes ad Personam, & quasdam ad officium Filij Dei referam.

Propositio
sequentium.

Ex vestibus quae ad Personam ipsius perti-

pertinent, prima est tunica talaris byssina
 & duplicata, quæ est natura Filij Dei hu-
 mana, quia ὁ λόγος σαξέ ἐγένετο, &
 unigenitus à Patre plenus gratia & ve-
 ritatis Ioh: 1. in unitatem Personæ suæ
 assumpsit naturam humanam totam, quod
 ad corpus & animam attinet, sed omni
 bysso puriorem, atque ab omni peccati labe
 immunem. Etsi enim in vita uniuersa &
 præcipuè cum flagris, spinis & clavis la-
 ceratus esset, veste cruenta indutus est,
 quæ peccati & mortis erat, eam tamen non
 ut suam, sed ut nostram induit, ut nos
 eadem exutos, sua denuò indueret. Eum
 enim qui non nouit peccatum, pro nobis
 Deus peccatum fecit, ut nos fieremus ius-
 titia Dei in ipso, 2. Cor: 5. & ipse pro
 nobis maledictum factus est, ut nos à
 maledictione Legis redimeret: Habet Fi-
 lius Dei suum quoq; cinctorium, balthem, et
 mitram ex bysso, quæ est harmonia omnium
 potentiarum Animæ, voluntati Patris ex-
 actè conformium. Habet autem has ve-
 stes cum cæteris hominibus communes, non

Tunica
 Christi bys-
 sina & du-
 plicata.

Christi ves-
 tis cruen-
 ta.

Cinctorium
 balthem &
 mitra Chris-
 ti.

F S quales

quales iam sunt, sed quales ante lapsum fuerunt, & in statu aternitatis futuri sunt.

Tunica
Christi hyas-
cinthina.

Tintinnas
bula & mas-
sa punica in
tunica Chri-
sti.

Ex vestibus Filij Dei proprijs & que ad ipsius officium pertinent, prima fuit hyacinthina, Vocationis & Ministerij symbolum, cuius simbria tintinnabulis aureis & malis punicis seu granatis per vices ornata est. Vocatus enim ad summum aeternumq; Noui Testamenti Sacerdotium, & iuramento confirmatus, Ps: 110. Sacri insuper baptismatis unda initiatus, Spiritu Sancto unctus & voce Patris cœlitus ordinatus, Matth: 3. Act: 10. doctrinam de essentia & voluntate Patris puram sonuit, sordibus Pharisæicis deterfis Legi purum pristinumque nitorem restituit, Matth: 5. 6. & 7. Euangelio ex sinu aeterni Patris prolato, promissionem gratiæ factam Patribus illustravit, & per vices, quas Euangelistæ eleganter describunt, doctrinam suam miraculis diuinis ceu sigillis subinde confirmavit, sanctitate vitæ morumq; gravitate ornauit, & efficacia in cordibus miri-

mirifica ob signavit, quia verba vita habebat, Ioh: 6. & in labijs ipsius gratia erat diffusa Ps: 45. quam qui ex incredulis quoque saniores erant, plus quam humanam admirarentur & suspicerent, quia docebat tanquam potestatem habens, Matth. 7. Vnde & Ministri à Synedrio ad ipsumprehendendum ablegati fatentur, quòd nemo unquam sic locutus fuerit, ut homo iste, Ioh. 7. & Iosephus lib: 18. cap: 6. Fuit, inquit, eisdem temporibus Iesus, sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor eorum hominum, qui libenter, quæ vera sunt, audiunt.

Secunda vestis Ephod seu ^{Ἐφωδ} est ^{Epomis Christi.}
 Filij Dei incarnatio, hanc ipsam ob causam facta, ut officio Sacerdotis & Mediatoris fungi posset, & causæ alibi recitantur, cur Mediatorem Dei & hominum, Deum & hominem esse oportuerit. Sicut autem aureum subtegmen cum stamine hyacinthino purpureo, coccineo & byssino non confusum, sed

Duse natus
est in Chris-
to.

sed opere Phrygio arētissimè ita unitum
fuit, ut augustus auri splendor per cetera
diuersorum colorum fila resurgens oculos
intuentium perstringeret: Ita quanquam
talis unio est facta, ut λόγος & caro
assumta sint unum ὑφιστάμενον, neutra
tamen natura in alteram conuersa est, ne-
que eam absorpsit, neque proprietates ab-
oleuit, sed λόγος omnes suas propieta-
tes retinens naturam humanam perpe-
tuò sibi fœdere ita copulauit, ut ipsa quo-
que omnes suas proprietates, quas fila
hyacinthina: omnes affectiones, quas pur-
purea: omnes infirmitates, que pœne erant,
quas coecinea: sed absque peccato, id quod
byssina significant, retinuerit, & nunc quoque
proprietates hominis retineat, tametsi in-
firmitates & passionis, peccati cornites,
exiit. Natura igitur diuina sustentat hu-
manam atque in ea tota & per eam totam
& in terris fulsit & nunc lucet, & Chri-
stus Deus & homo officium Sacerdotale,
cùm in terris esset, perfecit, & nunc quoque
perficit.

Gesta

Gestat præterea Filius Dei geminos Duo Onyches in humeris Christi.
 in humeris Onychas, in dextro Veteris &
 in sinistro Noui Testamenti Ecclesiam,
 que ministerio duodecim Apostolorum ex
 Iudeis & Gentibus collecta, Verbo & Sa-
 cramentis ceu duabus fibulis inter se conso-
 ciatur, & ceu tessaris à reliqua generis hu-
 mani colluue discernitur. Filius Dei enim
 est Angelus ille, qui cum Mosi fuit in de-
 serto, Act: 7. & populum Israel ex Aegy-
 pto eductum super alas aquilarum porta-
 uit, Exo. 19. Ipse est puer ille nobis na-
 tus, & Filius nobis datus, cuius imperium
 super humerum eius, Iesa: 9. Ipse est pastor
 ille bonus, qui ouem errantem querit, in-
 uentamque & humeris impositam ad ouile
 Ecclesiam suam reportat, Ezech: 34.
 Lu: 15.

Gestat Filius Dei in pectore λόγιον Logion in pectore Christi.
 duplicatum, cui nomen τετραγράμματον
 subscriptum est, quia ipse Patris λόγος
 Euangelium omnibus ignotum creaturis,
 quod est æternum Trinitatis decretum
 de genere humano in peccatum lapsò, in
 gratiam

gratiam propter Filium recipiendo, Ephes: 1. ex sinu eterni Patris protulit, & per ipsum gratia & veritas facta est, Ioh: 1. Nemo enim nouit essentiam & uoluntatem Patris, nisi Filius, & cui Filius reuelare uoluerit. Matth. 11. Ioh. 6. & 14. & non tantum ipse, cum Circumcisionis minister esset, Rom: 15. ad oues perditas domus Israel missus, Matth. 15. Euangelium de regno Dei Iudeis in Galilea predicauit, atque ut poenitentiam agerent & Euangelio crederent, monuit, Mar. 1. sed à mortuis rediuiuus, antequam maiestatis suae solium conscenderet, Apostolos poenitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo inter omnes gentes predicare iussit. Lu: 24. & per Euangelium Deus est in cordibus hominum efficax, quia est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1.

Duodecim
gemmae in
Logio pe-
ctoris Chris-
ti.

Sunt in Logio pectoris Filij Dei
duodecim gemmae, ex quibus duodecim
fundamenta nouae Hierosolymae Filij Dei
sponse sunt extructa, Apocal: 21. Hoc
enim

ORATIO.

79

enim lapide Sardonio corda hominum ex do- Sardonius.
loribus mortis liberata, gaudium concipi-
unt, quod nemo ab eis tollere potest, Ioh:
16. Regnum Dei enim est iustitia, pax &
gaudium per Spiritum Sanctum, Rom: 14.
Hunc gestantes Sardonium Apostoli ibant
gaudentes à conspectu Concilij, quòd di-
gni habiti essent pro nomine Christi con-
tumeliam pati, Act: 5. & Paulus eodem
instructus oblectatur, & sibi placet in in-
firmitatibus suis, in contumelijs, in ne-
cessitatibus, in persecutionibus, in angustijs
pro Christo. 2. Cor. 12. Hic, Sardonius in-
genium acuit. Etsi enim prædicatio Eu-
angelij, est stultitia gentibus, vocatis ta-
men Iudeis & Græcis est Dei sapientia.
1. Cor. 1. & notitia Christi est iustitia no-
stra, Ies: 53. & vita æterna, Ioh: 17.
& pii non tantum simplices sunt ut co-
lumbæ, sed etiam prudentes ut serpen-
tes, Matth. 10.

Euangelium est Topazius illa, qua Topazius
homo ab aestu iræ Dei immunis est: Vbi
enim

enim abundavit delictum, superabundavit gratia, Rom: 5. & qui de hac aqua biberit, in aeternum non sitiet, Ioh: 4. Euangelio fluxus sanguinis sistitur in muliere agrotata, Matth: 9. & vulnera semi-mortui sanantur, Lu: 10. Euangelium denique non solum monstrat exemplum humilitatis perfectissimum, Filium Dei, qui mitis est & humilis corde, Matth: 11. & seipsum humiliavit, factus Patri obediens usque ad mortem crucis, Philip: 2. sed etiam humiles efficit, ne quis unum de pusillis istis, qui in Christum credunt, contemnat, Matth: 18. neminem, qui eiusdem fidei particeps est, 2. Pet: 1. damnet aut iudicet, Rom: 12. neque altum sapiat, sed humilibus consentiat, Rom: 12. nihil per contentionem aut inanem gloriam faciat, sed in humilitate ceteros sese superiores arbitretur, Philip: 2. & alter alteri praeueniat honore, Rom: 12. Ad humilitatem denique pios hortatur, ut sub potenti Dei manu humiliati suo tempore exaltentur, quia Deus superbis resistit, sed humilibus dat gratiam, 1. Pet: 5. Christus

Christus verbo suo ceu Smaragdo sanat lepram animæ & corporis, Matth: 8. Lu: 16. medetur morbo comitiali, Marc: 9. illuminat animæ & corporis oculos, Is: 13. Iesa: 35. Lu: 18. Ioh: 9. Hæc Smaragdus libidini aduersatur. Qui enim sunt Christi, operibus tenebrarum abiectis, non in cubilibus & impudicitijs, sed ut filij lucis honestè, ut in die ambulant, Rom: 15. Ephes: 5. & carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigunt, Gal: 5. Hanc denique Smaragdum Filius Dei contra gryphos Diabolos & horum organa, tyrannos & hereticos potentia diuina tuetur.

Smaragdus

Hic est Carbunculus ille, qui in Mundum veniens, & in tenebris lucens omnem hominem illuminat, Ioh: 1. quam lucem qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitæ, Ioh: 8. Hæc lux in cordibus piorum per Spiritum Sanctum accensa lucet coram hominibus, qui bona ipsorum opera cernentes Patrem caelorum glorificant, Matth. 5.

Carbunculus.

Hæc Sapphiro ulcera peccati lethifera Sapphirus.

G. sanan.

sanantur, Ies: 53. terrores iræ Dei superantur, quia non amplius sub Lege sumus, sed sub gratia Rom: 6. & pax inter Deum & hominem sancita est, Rom: 5. Ephes 2. quia sumus dilecti in dilecto, Ephes. 1.

Adamas.

Hunc Adamantem neque furores Diabolorum, neque crudelitas Tyrannorum, neque σοφοί hereticorum frangere, nec portæ inferorum contra ipsum prevalere possunt, Matth. 16. Hoc Adamante Petrus cordibus auditorum suorum lapideis, qui mortis Filij Dei autores fuerant, motus pœnitentiæ insculpit, ut tria millia ad fidem Christi prima ipsius concione conuertantur, Act: 2.

Lyncurius.

Euangelium ceu Lyncurius, quò magis vi vel fraude Diaboli & armis Tyrannorū in Ecclesia, vel petulantia Hereticorum in Ministerio, vel tentationum & arumnarum mole in cordibus nostris obruitur, eò purius & efficacius emicat & luci redditur. Cælum enim & terra prætereunt, sed verba Filij Dei non prætereunt, Matth.

Matth: 24. & quicquid ex Deo est, vi vel fraude Diaboli & hominum dissolui nequit, Aët: 5. Virtusq; Christi in infirmitate nostra perficitur, 2. Cor: 12. Euangelio ceu Lyncurio sagitta Dei irati conscientijs infixæ extrahuntur, Ps: 38. Iob. 6. Hoc remedium Nathan vulneribus Davidis applicat: Transtulit, inquiens, Dominus peccatum tuum, 2. Sam: 12. Eodem Filius Dei medetur mulierculæ sauciæ in domo Simonis, Remittuntur, inquiens, tibi peccata tua, Fides tua salvam te fecit. Lu: 7. Eodem medetur Petro saucio, quem intuens per affectum, de lapsu, suæque pro ipso intercessione, ne fides eius deficeret, admonet, Lu: 22. Hac denique gemma contra venatores Diabolos, Ps: 91. contra canes Euangelion allatantes, Matth. 7. Philip: 3. & Ecclesiam circumdantes, Ps: 22. atq; in primis contra Cerberum illum tripitem, qui est conspectus peccati, sensus iræ Dei, & metus inferni, æternæq; damnationis, in agone mortis præmunire nos debemus.

Achates.

Euangelio ceu Achate contra mor-
sus Diaboli defendimur. Filius Dei enim
in hoc apparuit, ut opera Diaboli destruat,
1. Ioh. 3. & quanquam venit princeps
Mundi, tamen non habet in ipso quicquam,
Ioh: 14. Facundi item & amabiles reddi-
mur. Quia vos non estis, qui loquimini,
sed Spiritus Patris vestri, inquit Filius
Dei, Matth. 10. & charitas Dei diffusa
est in cordibus nostris, Rom: 5. ut à dile-
ctione Dei, que in Christo Iesu est, nihil
nos separare possit. Rom: 8.

Amethys-
tus.

Hac Amethysto vera $\Sigma\omega\phi\omicron\sigma\omicron\upsilon\omega\kappa$ &
vigilantia sancitur & conseruatur. Nam
& Filius Dei, ne corda nostra onerentur
crapula & ebrietate, & ut omni tempore
orantes vigilemus, precipit, Lu: 21. &
Paulus Rom: 13. 1. Cor. 5. Ephes: 5. in-
temperantiam prohibet, quod ea sanitati
mentis admodum infesta sit. Commercia
denique cum Phariseis & Saduceis Chri-
stus Apostolos cauere iubet, ne contagium
noceat. Matth: 16. & Paulus Hereticos
post unam atque alteram correptionem,
Tit: 3.

Tit. 3. vltari, & Iohannes, neque in domum recipi, neque salutari vult, 2. Ioh. 1. quod sermo ipsorum vt cancer serpat, 2. Tim. 2.

Hac Chrysolitho pusillanimes confirmari, Filius Dei suo exemplo comprobatur, qui fidem Apostolorum modicam & tantum non extinctam excitat, auget, confirmat, Matth. 8. & 14. Lu: 17. Eadem quoque daemones pelluntur, 1. Pet. 5. Iaco. 2.

Chrysolithus.

Euangelio ceu Onyche concordia inter membra Ecclesiae fouetur. Nam & Filius Dei mandat Apostolis, vt pacem inter se habeant, Mar. 9. atque vt vnum sint in ipso precatur, Ioh: 17. & Paulus harmonia membrorum corporis pios ad eius virtutis studium excitat, Rom: 12. 1. Cor: 12. & quam necessaria sit unitas Spiritus ostendit Gal: 5.

Iaspis vel Berillus.

Hanc gestantes Iaspidem sordibus peccati non immergimur, quia non sinit nos esse vacuos, sed subleuat, vt πολιτενμα caeleste intuentes, Philip: 3. vocationem & electionem nostram per bona opera firmam

firmam faciamus, 2. Pet. 1. Hac Iaspide Petrus suffultus super aquas ambulat, eademque abiecta mergitur, Matth. 14. Hanc denig, Berillum Anania oculis Pauli applicante, squama cecitatis & hypocriseos Pharisaeae decidunt, Act: 9. eademque Paulus Ephes: 5. & Petrus 1. Pet: 3. amorem inter coniuges mutuum conciliant.

Vrim &
Thumim
in pectore
Christi.

Euangelium
Iohannis.

Habet Filius Dei in hoc suo pectorali Vrim & Thumim, quae quid fuerint, & qualia, Iohannes in Euangelio suo monstrat, qui pectori Filij Dei accumbens, non more illo rustico, quem Pictores expriment, nisi quis ad triclinia veterum referre velit, sed unice à Christo dilectus, Ioh: 13. & 21. ut consobrinus secundum carnem, Matth: 20. multorumque colloquiorum socius & secretorum praeter ceteris Apostolis conscius, & ideo personam & officium Filij Dei illustrius quam ceteri describens, crebro hisce utitur epithetis, quod sit Lux Mundi, Ioh: 8. & Veritas, Ioh. 14. Ipse enim est Sol iustitiae, Malach. 4. & omnes promissiones sunt in ipso Amen, 2. Cor: 1.

Zona

Zona insuper seu baltheo Sacerdotali Zona Christi
sui Sacerdos
talis.
 Filius Dei cinctus est, quia iustitia est
 cingulum lumborum eius, & fides cincto-
 rium renum eius, Iesa: 11. & ipse tanquam
 Sponsus procedens de thalamo suo, exul-
 tavit ut Gigas ad currendam viam, Ps:
 19. muneris sui partes zelo diuino exe-
 quens, Ps. 69. Ioh: 2. & in continuo stans
 procinctu contra suum suorumque & ge-
 neris humani uniuersi hostem ἀποδοῦρα
 Diabolum, Gen. 3. Matth. 4. & de ipso
 triumphans, Ps: 110. Ephes: 4.

Mitra denique hyacinthina seu Ci- Mitra Christi
sui Sacerdos
talis.
 dari Sacerdotali ornatus est, quia est λό-
 γος Patris, Ioh. 1. & Doctor à Deo ad
 Ecclesiam missus, Ioh. 3. & factus nobis
 à Patre sapientia, 1. Cor. 1. & infixæ est
 mitra lamina aurea, eiq; inscriptū Tetra- Nomen tes-
tragram-
maton.
 grammaton, nomen illud ineffabile, Rex
 Regum, & Dominus Dominantium, A-
 poc: 19. Ipse enim est qui est, qui fuit &
 qui erit, Exo: 3. Ioh: 8. Apoc: 1. Ipse est
 Iehoua iustitia nostra, Iere: 23. & 33.
 Ipse est super omnia Deus benedictus

in secula, Rom: 9. & Deus ipsi nomen dedit, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, Philip: 2. Ipse est Sol iustitie, Malach: 4. Lunam, hoc est, Ecclesiam luce sua perfundens, & cum caput eius sit, omnia in omnibus Spiritu suo perficiens, Ephes: 1. donec quæ corniculata erat & imperfecta in hac vita, totum orbem in futura compleat, eoque pleno luceat, ubi Deus ipse in lucem sempiternam, Ies: 60. & omnia in omnibus erit, 1. Cor: 15.

Quatuor
partes officij
Christi.

Hoc igitur ornatu Filius Dei, summus Novi Testamenti Sacerdos, indutus, & balsamo fragrante oleoq; lætitiæ, Spiritu Sancto unctus, Ps. 45. Iesa: 61. Matth. 3. thuribulo assumpto, quæ est ipsius ab eterno facta, semperq; durans & continua pro genere humano intercessio, Rom. 8. Ephes: 1. 1. Ioh: 2. & constans perpetuæ exauditio- nis fiducia, Ioh: 11. & 17. quatuor muneris sui partes obijt, primùm docens Ecclesiam, partim sortibus, quas Hypocritæ Legi diuinæ asperserant, deterfis, Matth. 5.

6. &

6. & 7. partim Euangelio ex sinu aeterni Patris prolato, & promissionibus, quae ad Patres factae erant, illustratis, Ioh. 1. Rom. 1. Postea seipsum pro genere humano sanctificans, & Patri $\lambda\upsilon\tau\eta\sigma\omicron\upsilon$ offerens, Ioh. 17. Matth: 20. I Ioh: 2. Tertio, pro eodem apud Patrem intercedens, Lu: 22. & 23. Ioh: 16. & 17. denique benedictionem afferens, Gen: 12. Gal: 3. Atque haec est allegorica ornatus Sacerdotalis ad Filium Dei applicatio, non qualis pro materia dignitate esse debuit, sed qualis pro ingenij mei tenuitate & temporis angustia esse potuit.

Quoniam autem viri honesti tali ^{Vestitus Christi.} vestitus quoque, externi genere utuntur, qui personae & officio ipsorum congruat, Filium Dei, cum Iohanne in carcerem coniecto, ad insidias Herodis, Matth: 4. & contribulium suorum Nazareensium, Lu: 4. declinandas Capernaum concessisset, quae urbs Romanis parebat & presidio ipsorum munita erat, & eius urbis civis esset factus, tali etiam veste, quae vel ad gravitatem

Senatoriã, vel ad dignitatem Sacerdotalem proximè accederet, maiestatem personæ & auctoritatem officio adderet, & non omni careret mysterio, vsum esse, & per se pium est sentire & vero consentaneum. Gemina certè fuit, ut constat ex cap: Ioh. 19. exterior, quam milites inter se partiti, & interior inconsutilis, de qua sortiti sunt, iuxta Psalmi 22. vaticinium.

Prior allegoria vestium Christi secundum Pontificios.

Pontificij tale quarunt in vestitu Christi mysterium, ut exteriorem accommodent ad Scripturam, quam Hæretici lacerant, interiorem verò ad corpus Ecclesie, quod maneat integrum. Tolerari posset hæc allegoria, nisi tunica interiore Ecclesiam Romanam, quam ipsi perperam nominant Catholicam, & militibus, qui exteriorem lacerant, Lutheranos aliòsque, qui Pontifici Romano contradicendo concordiam, ut prætexunt, publicam multorum seculorum decursu sub vno capite Pontifice Romano conseruatam turbant, representari fingerent. Vestitus Christi fortasse nihil significat, sed talis fuit, qui necessitati serui-

seruaret, & loco illo ac tempore vsitatus
 esset: Si quid tamen significat, allegoria
 erit fidei $\alpha\upsilon\tau\acute{\alpha}\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$, si ad personam &
 officium ipsius referatur. Tunica enim in-
 consutilis, duas in ipsius persona naturas
 vnione hypostatica, sine vlla tam essentie
 quam proprietatum confusione in omnem
 eternitatem inseparabiliter copulatas, sed
 vestis exterior officium ipsius, cuius qua-
 tuor esse partes supra ostensum est, repre-
 sentant. Partitio vero & sortitio per mi-
 lites facta perpetuam vtriusque articuli, de
 persona & officio Christi copulationem,
 quorum alterutro per hereticos labefactato,
 vterque corrui, significant. Sed & Ponti-
 ficiorum allegoria erit concinna, si gemina
 Christi vestis ad Ecclesiam & Scripturam
 accommodetur, quod in hisce solis Christus
 queri debeat & inueniri possit, sicut fascys
 inuolutum & in praesepe positum Pastores,
 Angelo monente, inueniunt, Lu: 2. Tunica
 enim inconsutilis Ecclesiam Catholicam,
 que est vnum corpus sub vno capite Chri-
 sta,

Alia all-
 goria ve-
 um Chri-

Allegori-
 Pontifici-
 rum cor-
 sta.

Tunica in-
 consutilis
 interior.

sto, & unus Spiritus, & cuius est una fides, unum baptisma, una spes vocationis, & unus Deus & pater omnium, Ephes: 4. significat. Estq; hæc vestis interior, quia etsi cætus vocatorum est visibilis, verè tamen electi ad vitam æternam, nec rationis, nec sensuum acie agnoscuntur, sed Deus solus nouit, qui sint eius, 2. Timoth: 2. Sicut enim Spiritus, ubi vult spirat, & vox eius auditur, sed unde veniat aut quò vadat, sciri non potest: Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu, Ioh: 3. Quemadmodum autè milites de tunica sortiuntur, ita inde usque à Mundi initio agitata est hæc questio, & nunc quoque agitur, quæ, & ubi sit vera Ecclesia, & hæc disceptatio multo constat sanguine, impijs titulum Ecclesiæ vi & ferro semper sibi vindicantibus. Tunica verò seu vestis exterior, ex quatuor composita partibus, doctrinam Euangelij libris quatuor Euangelistarum comprehensam, quos quadriga Ezechielis præfigurant, in quatuor Mundi plagas voce Ministerij spargendam significat. Quod verò hæc

vestis exterior.

hec vestis à militibus in quatuor partes
 scinditur, significatum est, Scripturam vel
 opinionibus Pontificiorum in quatuor sen-
 sus, Literalem, Tropologicum, Allegoricum
 & Anagogicum, vel à quadruplici ho-
 stium genere, hypocritis, epicureis, neu-
 tralibus & tyrannis, vel totidem sectis
 Hæreticorum, qui vel de essentia, vel de
 voluntate, vel de beneficijs, vel de cultibus
 diuinis, qui item vel de persona Christi,
 & alij quidem de humana, alij de diuina
 natura, alij de officio ipsius Regio vel Sa-
 cerdotali errant, fœdè lacerandam esse.

Quemadmodum autem summus Ve-
 teris Testamenti Sacerdos iussu Dei, Le-
 uit: 6. & 16. vestitum Sacerdotalem de-
 posuit, suoque privato indutus est, quoties
 operas ad officium suum non pertinentes
 tractaret, sed ad eadem accessurus rece-
 pit: Ita Filium Dei, quoties alienum opus
 faceret, ut opus suum operari posset, Iesa:
 28. hac veste sua gemina, que ornatus
 Sacerdotalis symbolum erat, quater exu-
 tum esse, sed eandem ter, & vice quarta
 longè

Christus
 vestes
 quater e-
 it.

longè splendidissimam recepisse legimus, si quando ad aliquam ex quatuor muneris sui partibus obeundam accederet. Vestes suas primùm ad Iordanem exiit, cum ab omni labe purus, sacri tamen baptismatis unda initiandus testaretur, se reatum generis humani uniuersi in sese recipere. Cœlitus autem balsamo Spiritus Sancti unctus & voce Patris inauguratus, eisdem receptis ad primam muneris sui partem, seu docendi officium accessit, sensum Legi diuine genuinum, & spirituales restituens, & doctrinam Euangelij passim spargens, & miraculis diuinis obsignans.

In ccc: Postea vestes suas deposuit in ultima canna, cum forma serui sumpta, pedes discipulorum lauaret, Ioh: 13. eisdemque receptis ad alteram accessit muneris sui partem, intercedens pro Ecclesia, & de futuris eam premonens, Ioh: 14. & tribus sequentibus. Tertio, vestibus suis spoliatus à militibus in Prætorio, & chlamyde coccinea in opprobrium Regni affectati, & postea

Ad Ior:
nem.

I. In
ætorio.

ORATIO.

95

postea ab aulicis Herodis, ut amulo Regni
 stolido illuderent, veste alba indutus
 est, in presagium regni ipsius per Ori-
 entem, ubi Reges bysso, & per Occiden-
 tem, ubi purpura utebantur, propagan-
 di, tametsi nec Pilatus nec Herodes hoc
 tantum mysterium intelligerent. His
 verò vestibus depositis, suisque receptis
 ad tertiam muneris sui partem accessit,
 cum in montem Caluarie productus, se-
 ipsum pro genere humano $\lambda\upsilon\tau\epsilon\sigma\omicron\upsilon$ in ara
 crucis Patri obtulit.

Hic igitur quarto & ultimo suis ex-
 tus vestibus, eisque inter milites sorte &
 partitione distractis, nudus quidem iu-
 dicio sensuum suspensus, & vermis ve-
 re coccineus fuit, Ps: 22. sed in conspe-
 ctu Patris & omnium fidelium, in ipso
 crucis patibulo veste fuit indutus gemi-
 na, una purpurea, qua ipsius obedientia
 humilima, Philip: 2. & altera byssina,
 qua ipsius innocentia fuit, Iesa: 53. 1. Pet:
 2. Ex morte denique rediit, & ad
 quartam

IV. In crus
 ce.



quartam muneris sui partem, qua benedictionis est, accessurus, bysso pariter & hyacintho seu purpura, sed glorificatis, & longè splendidissimis denuò indutus est. Christus enim Dei & Mariæ Filius in gloriam Patris, quam habuit antequam Mundus fieret, Ioh: 17. restitutus, & Sacerdos & Rex Ecclesie æternus per orbem uniuersum, iuxta vaticinium, Ps: 72. & 110. Mich: 5. & iuxta Pilati & Herodis præfagia constitutus est.

Quarta Oratio
rationis
pars.

Hæc copiosius illustrari posse, quis non videt? Sed ad finem properare me iubet temporis elapsi ratio, quare partem Orationis quartam breuiter expediam, ubi postquam de vestitu Christianorum Sacerdotali pauca dixerò, & leuitatem vestimenti hominibus huius seculi vsitatam, pietate Christiana indignam esse ostendero, finem Orationis faciam. Primum autem

κακοζη-
λία Pon-
tificiorum
in vestitu
Sacerdotas-
li.

κακοζηλία Pontificiorum explodenda est, qui stolis & epomide Sacrificulos suos ad operas sacras accessuros exornant, prætextu glorie Noui Testamenti, ne minor ea sit, quam

quàm Testamenti Veteris, id quod fieret, si Tempła & Sacrificuli Christum quotidie in Missa tam priuata quàm theatra Patri cœlesti offerentes non pari instruerentur ornatu & habitu, quo Tabernaculum Mosaicum, vel Templum Salomonis, & Sacerdotes ac Leuita Veteris Testamenti exornati fuerunt. Quasi verò gloria noui Testamenti in hisce crepundijs consistat, quæ Paulus elementa Mundi & umbras futurorum, Col: 2. & pedagogiam in Christum Gal. 3. nominat, quæ omnia finem suum assecuta sunt, postquam fides in Christum reuelata est. Christus enim est finis Legis, ad iustitiam omni credenti, Rom 10. ideoque cultus & gloria Noui Testamenti, iam est spiritalis & interior. Omnis enim gloria filia Regis ab intus, Ps: 45. & veri adoratores Patrem in Spiritu & veritate adorant, Ioh: 4. Quare ineptijs Pontificiorum missis mysterium intueamur.

Vestitus Christianorum est duplex, Vestitus
partim omnium communis, partim cuiusq; rum alle-
goricus.

H

propri-

Byssus Christi
Christianorum
duplex.

Cinctoriū,
balthus &
mitra Chris-
tianorum.

*proprius. Habent primum omnes Christi-
stiani vestem communem, quæ est byssina
duplicata, est q̄ imputatio iustitiæ Christi
& donatio Spiritus Sancti seu sanctifica-
tio, quia per Christum gratia & veritas
facta est, Ioh. 1. & iustitia ac vita pro
peccato & morte, Iesa: 40. Spiritusque
gratiæ & precum, Zach: 12. Sanctis do-
nantur. Postea habent Cinctorium ven-
tris, Balthum thoracis & Mitram capi-
tis ex bysso, quæ est continua piorum pœ-
nitentiæ, in qua ad finem usque perseue-
rantes, saluantur, Matth. 10. Primum
enim cinctorio de contritione & peccato
originali, in quo concepti & nati sunt, seu
de mala concupiscentia, baltheo de volun-
tatis & cordis prauitate & contumacia,
mitra verò de tristi mentis caligine, &
in ijs, quæ Spiritus Dei sunt, cecitate: Po-
stea iisdem vestibus de Fide, quæ est lux
in mente per Spiritum Sanctum accensa,
& firmus assensus cum fiducia gratiæ Dei
coniunctus in voluntate & corde, meri-
tum & iustitiam Christi imputatam appre-
hendens*

hendens sibiq; applicans: Tertiò, de noua obedientia, quæ est trium præcipuarum anime hominis potentiarum τ̄ ἐπιθυμητικῶν, θυμοειδῶς ἢ ἡγεμονικῶν cum Lege Dei, auctore Spiritu Sancto, incoata conformitas, & peccati in carne reliqui mortificatio, admoventur. Atq; has vestes sirenati ad finem usq; retinent, & quoties in peccatum prolabentes, hanc byssum suam contaminant, sine mora tamen resurgentes, igne crucis & motibus serie pœnitentiæ eandem repurgant, alia bysso longè splendidissima, quæ est iustitia consummata & immortalitas, in seculo futuro induentur. Superinduemur enim, si non nudi reperiemur, 2. Cor: 5.

Habet præter hanc byssinam suo quisq; loco peculiarem sibi vestem hyacinthinam, quod est genus vitæ & vocationis honestæ & legitimæ. Ex hac dependeant tintinnabula aurea & mala punica, & unusquisque siue præsit siue pareat, in suo vitæ genere, Ecclesiastico, Politico, Oeconomico, Liberali, Mechanico, & quouis alio, quod honestum tamen & infamiae turpisq; lucræ

Vestis Christianorum
hyacinthinæ.

Epomis
Christiano,
sum.

expers est, doctrinam puram, leges honestas & monita salutaria vel sonet vel audiat, & que vel docet vel docetur, integritate vitæ & veræ fidei fructibus ornet. Sit etiã sua ornatus Epomide, & ijs instructus medijs, quibus ad operas vocationis illius & vitæ generis rectè obeundas opus est, & non perfunctoriè tantùm eadem acquirere, sed ceteris excellere, & pietatis, eruditionis, aliarumque virtutum faciem

Onyches.

illustrem præferre studeat. Onychas in humeris & piam Ecclesie, subditorum, familia, officijq; uniuersi sibi commendati curam gerat, & in eo administrando fidelis sit & sedulus. Gestet in pectore Vrim & Thumim, verasque de Deo & alijs rebus honestis ac utilibus sententias diligenter inuestiget, inuestigatas constanter amplectatur, ipsoque opere exequatur & perficiat, atque ut semel omnia dicam, duodecim gemmarum virtutes supra enumeratas in pectore habeat.

Vestitus
Christiano,
rum exte-

Cum hoc ornatu Anima interiore, habitus etiam & vestitus corporis externus congrue-

gruere debet, qui non minus, quam sermo ^{nus qualis} ^{esse debeat.}
 animum hominis, perinde ut cantus &
 pluma avem, prodit & arguit. Non tantum
 igitur cuiusq; persona & officio, sed et-
 iam pietati Christianae & gravitati Ger-
 manae respondeat, & talem olim fuisse Se-
 nes meminerunt. Sed quae sit hoc seculo ^{Vestitus}
 leuitas maxima partis hominum in Ger- ^{Germanos}
 mania, & deformis in omni vita genere ^{rum qualis}
 vestiendi ratio, cordati, ut initio dicebam, ^{iam sit.}
 cum bile & gemitu aspiciunt.

Ego vero etsi κακοκλίαν Pontificiorū, ^{Habitus}
 quam dixi, nō probo, & vestitum, quo per- ^{Theologicus.}
 sone Ecclesiasticae vel priuatim vel quoties
 ad sacras accedunt operas, utuntur liberū
 & ἀδιάφορον esse existimo: Nondū tamen
 video, quomodo vel zelus pro veritate
 intempestiuus, vel leuitas istorum excusari
 possit, qui nulla infirmorum, munerisue sui
 & gravitatis antiquae ratione habita, in
 alteram temerè peccantes partem, vel
 omnem ornatum omniāque ἀδιάφορα, qui-
 bus nihil impietatis inest, & quae antiqui
 orthodoxi bono retinuerunt consilio, ut pa-
 dago.

dagogia instar essent rudioribus, improbant, exturbant, damnant, atque hoc ipso ex libertate necessitatem faciunt, vel in suo ipsorum vestitu scurras quàm Pontificios imitari, & sordidi quàm graues perhiberi malunt. Quasi verò sincerae religionis professio, & pia animi humilitas magis in sordibus vestium, quàm in κακοζυλίας Pontificia consistat.

**Habitus
politicus.**

Habitus eorum, qui olim ad gubernacula tam infima quàm suprema sedebant, augustus erat, qui autoritatem personæ adderet, dignitatem muneri, quod gerebant, conciliaret, & pietati Christianæ grauitatiquè Germanæ congrueret, sed qualis hodie sit, αὐτοψία testatur.

**Habitus
communis.**

Ceteri homines suo quisque loco ijs olim utebantur vestibus, quæ animum piuum, constantem & grauem, virumque Germanum referrent. Sed his octo, quos attigi, Climactericis, Germania habitum animi & corporis penè omnem exuit, ut iam plures Gallos, Italos, Anglos & alias quasuis potius Nationes, quàm Germanos

in

in media Germania conspicias. Hæc leuitas est indicium magni animorum morbi, & ad pietatem virtutemque pristinam propemodum desperati, quæ utraque cum olim Germanis esset familiaris, hodie utramque exolescere, luxus in materia & leuitas in forma vestitus arguunt.

*Materiam Germanis Nationes ex-
tere magno vendunt pretio, & tanquam
fatuos omni pecunia emungunt. Olim ho-
minibus graduum diuersorum, materia
vestiendi diuersa erat concessa, & ex-
tant hodie leges in Politijs benè consti-
tutis sumtuaria, quæ discrimen materie
inter homines diuersi ordinis strictè san-
ciunt, & in delinquentes seuerè animad-
uertunt. Sed in his terris, & hoc præser-
tim oppido, ut de mechanicis, aliorumque
ordinum hominibus non dicam, qui nihil
ad nos pertinent, Scholastici certè præ
ceteris hoc discrimen turpiter negligunt,
dum alter alterum ob luxum admiratur, &
superare studet, nulla conditionis aut prosa-
piæ suæ ratione habita, & sæpè cum magno,*

*Materia
vestitus
hoc seculo.*

sudoribus parentum acquisita pecunia & sumtuum dispendio.

Forma vestitus hoc seculo.

Formam vestitus plerique Germani non à Maioribus suis, sed à Nationibus exteris effœminatis mutuuntur, ut fatali quadam omnium rerum conversione Germani non amplius viros, sed frontem depilati, comam pendulam squalidi, capita, ne Sole urantur, petasati, petasos cristati, colla & manus pancreis circumuoluti, ventres & pectora tumidi, femora suffarcinati, fascias, tibialia & calceos picti, ea denique parte, qua maximè viri sunt, à sexu suo quasi degenerantes, ut plurimum fœminas referant, unde tot sunt & tam præclara, scilicet, victoriarum trophæa, quæ aliquot annorum decursu, Germani passim militantes, Maiorum suorum exemplo constituerunt. Imbibunt Germani cum vestitu peregrino non solum mores à gravitate Maiorum suorum pristina, sed etiam opiniones in omni doctrinarum genere, à doctrina Prophetarum & Apostolorum orthodoxa, quæ hisce terris per Dn. Luthe-

Opiniones vestitum peregrinum comitantes.

ORATIO.

205

Lutherum & Dn. Philippum restituta est, alienas, & eas ipsas gentes peregrinas, quibus proprium est, nihil eorum probare, quæ Germani faciunt, & Germanos ob hanc ipsam imitationis stoliditatem præ se contemnere, opinionum portentis, sophismatum prestigijs, & cavillandi, atque omnia, quæ ab alijs candidè & rectè tradita sunt, labefactandi, & subtilitate quadam intempestiva & veritati perniciosa, euertendi studio, ceu simioli inepti stolidè imitantur, & vestitu luxurioso, deformi & plumato testantur, se quidvis aliud quàm Germanos esse malle.

O utinam Germania religionem pri- Peroratio.
stinam retineat, non dico Pontificiam, quæ recens est, sed Propheticam & Apostolicam, cuius lucem & nitorem pristinum Deus opera salutarium organorum, Domini Lutheri & Domini Philippi, sanctæ memoria, his terris & toti Germania restituit.

O utinam ad gravitatem morum & sanitatem habitumque animi & corporis
H s pristi-





pristinum redeat. O utinam Nationum
 exterarum ineptias, & cum eis opiniones
 & mores non Germanos aliquando de-
 discat. O utinam Nationes exteras, quas
 tamen non damnamus, cum Ecclesia alio
 atque alio tempore plus minusve lucis ha-
 beat, dummodo nos vicissim ipse non iu-
 dicent, o utinam, inquam, suis opinionibus
 triumphare, & egregie sapere, suis sese
 moribus & gestibus oblectare, & vestitu
 suo, non dico monstroso, certe non Germano
 sese exornare, sibiq; mirifice placere sinat,
 & suis ipsa interim et autis legibus, religi-
 one, vestibus, gestibus & moribus, candore
 simplici & antiquo utatur & viuat. Quia
 Moribus antiquis stat res Germana
 virisque,


Moribus atque viris ut cadet illa
 nouis.

Sed surdis fortasse fabulam. D I X I

55) (50)







№ 2258.

8

7


ULB Halle
004 562 224 3




Sb.

MA.







ORATIO ^{an 3}
DE VESTITV ET
Ornatu Sacerdotali Veteris &
Noui Testamenti:

RECITATA IN
ACTV PROMOTI-
ONIS MAGISTRORVM PV-
blico, à M. IOHANNE GRVNIO
Noribergense, Alumnorum Electoralium
Præceptore, cùm Collegij Philoso-
phici in Academia VVitebergensi
secundùm Decanus esset,
17. Calend. Octobris.
Anno Christi
1590.

*Psal. 119.
Parvulus sum ego & contemptus, sed sta-
tuta tua non sum oblitus.*

VVITEBERGÆ
Typis Simonis Gronenbergij. Anno 1591.